Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Caput secundum

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

ram fidem et promissionem de Messiâ en suâ Stirpe venturô contestatus fuerit, quamvis jam aliunde declaratam et cognitam exteriùs per sacrificia, quæ processerant in Abel et aliis superiorum ætatum Patriarchis, et fidelibus.

Dicitur etiam Pater omnium credentium hoc sensu, quòd, postquam omnes ferè à veri Dei cultu declinassent ad idololatriam, ipse nunquam à fide recesserit; sed in eâ constanter permanens cæteris etiam factus fuerit exemplar fidei, justitiæ, et religionis, in quo primùm per circumcisionem quæ fuit ~~la~~ signaculum justitiæ fidei, discreti sunt credentes à non credentibus.

Caput Secundum

De Notis seu Characteribus Ecclesiæ. 51.

Explicatâ Ecclesiæ naturâ et origine propositus à nobis ordo exposcere videtur, ut modò veras illius notas seu characteres exponamus, quorum vi à quacunque aliâ hominum societate, quæ vel ipsam mentitur, vel cum eâ similitudinem quamdam videtur habere, secernatur. Cùm enim etiam iis, qui à nobis nostræque fidei professione alieni sunt, ultrò fatentibus, extra veram Dei Ecclesiam nulla sit salus, apprimè unique convenit vestire, ubi illa vera Christi Ecclesia sit: ad hanc cognitionem autem nonnisi certarum quarumdam Notarum, et characterum adminiculô pervenitur, qui non modò notiores ipsâ Ecclesiâ, sed et ita ipsi proprii esse debent, ut saltem simul sumpti nulli alteri possint convenire, ita clari et obvii, nec non cognitu faciles, ut eidem Eccl-

34 sic evidentiam tribuant, non quidem veritatis simpliciter et absolutè, sic enim absque ullâ controversiâ ab omnibus agnosceretur, sed credibilitatis duntaxat, ut scilicet ab illius signis et characteribus evidentiam credibilitatis accipiat.

52. In assignandis verò his Ecclesiæ Christi Notis et Characteribus nobiscum non conveniunt ii, qui Romano Pontifici non parent; nec etiam ipsi Catholici inter se conveniunt, dum alii plures, alii pauciores requiri tuentur.

Ii, qui apud nos vulgò Acatolicorum nomine veniunt, Lutherani nempè, et Calvinistæ duas tantùm Ecclesiæ Christi notas admittunt, Sinceram videlicet Verbi Dei prædicationem seu Doctrinæ veritatem, et, quod ex eâ consequitur, Legitimum Sacramentorum usum. Ita Confessio Augustana art. 6. Apolog. ejusdem. Brentius in Confess. Wittenberg. Cap. de Eccles. et Calvinus Lib. 4. Instit. c. 1.

53 Quam suam sententiam fulcire conantur 1.° ~~prædicamentum~~ ex S. Script. Matth. 18. v. 20. ubi congregari in nomine Christi pro verâ Ecclesiæ notâ assignatur.

Joan. 10. v. 27. Oves meæ, inquit Christus, id est, qui sunt ex Ovili meo, quod est Ecclesia, vocem meam, Doctrinam nempè meam, audiunt. Ibid. c. 25. v. 3. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. at verò illa est vera Ecclesia, quæ munda est coram Deo propter ejus sermonem seu doctrinam. Ephes. 5. v. 27. Apostolus de Ecclesiâ sic loquitur: mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, id est, Verbo Dei.

54. Secundò. ex SS. Patribus. S. Augusti-

nus Epist. 105 ad Donatistas 166. Et lib. de Unit. 35
Eccles. adv. eosdem Donatistas. Item lib. cont. Ep.
fundamenti c. 4. docet, Ecclesiam non aliter co-
gnosci et probari posse, quàm per Verbum Dei seu
Scripturas. Idem tuetur S. Chrysostomus
Hom. 94. in c. 24. Matth.

Tertiò. Rationibus. 1.º Quia Verbum 55.
Dei est per se efficax, et ubiunque prædica-
tur aliquos fideles, et bonos efficit, adeoque
Ecclesiam. 2.do Quia nisi doctrinæ
veritas, quam Spiritus Sancti unctio humili-
bus aperit, non sit vera Ecclesiæ nota, nus-
quam rudes et imperiti veram Christi Eccle-
siam dignoscere poterunt: non enim gene-
ralia illa credibilitatis motiva, quæ omni-
bus Christianis Societatibus sunt communia,
atque Hæreticis non minus perspecta, quàm
Catholicis, sufficere videntur, ut omnibus
Christianis veram certissimè demonstrent
Christi Ecclesiam. 3.tio Quia Scrip-
tura, quæ est ipsum Verbum Dei, notior est
ipsa Ecclesia, quandoquidem per ipsam pro-
batur Ecclesia. 4.to Quia nulla res
cognosci potest absque cognitione eorum,
quæ ad ejus essentiam pertinent, et ipsius
definitionem ingrediuntur: cùm ergo ve-
ra Christi doctrina pertineat ad essentiam
Ecclesiæ, et ejus definitionem ingrediatur,
definitur enim, Societas veram Christi doc-
trinam, et fidem profitentium. Ergo vera
Ecclesia sine cognitione veræ Christi doctrinæ
cognosci non potest.

At contrà Catholici tuentur, nec ve- 56
ram Christi doctrinam, nec legitimum Sacra-
mentorum usum esse veras notas, quibus
certò dignosci possit Ecclesia Christi, et discerni
à quamunque aliâ falsi nominis Ecclesia.

36. Idque probant 1.° Quia illa nota nec vera sunt, nec dici possunt Ecclesiæ Christi notæ, quæ non habent conditiones ad veram Ecclesiæ notam prærequisitas: Atqui neque vera Christi Doctrina, neque legitimus Sacramentorum usus ~~habetur~~ habent conditiones ad veram Ecclesiæ notam prærequisitas. Pb. min. Conditiones ad veram Ecclesiæ notam prærequisitæ ex dictis initio hujus Capitis sunt hæ tres: 1.ª ut sit propria et non communis. 2.ª ut sit notior et clarior re, quam significat, sive cujus nota est, idest, ipsâ Ecclesiâ. 3.ª ut sit sensibilis et obvia, et omni hominum generi et conditioni accommodata. Atqui conditiones hujusmodi non habent vera Christi doctrina, et legitimus Sacramentorum usus. Ergo p.

Pb. min. Non habent primam: nulla namque unquam fuit Hæreticorum secta, quæ non jactaret se puram habere Christi doctrinam, et ejus Sacramenta: nulla, quæ erroum suorum patrocinium ex Scripturis non repetierit; nulla etiam, quæ non contenderit, veram esse apud se Ecclesiam, prout testantur SS. Patres, Lactantius lib. 4. Instit. c. 29. Cyprianus Ep. ad Jubajan. Augustinus lib. De unit. Eccl. c. 2. et cont. Ep. fundam. c. 4. et alii p. Atqui fieri non potest, ut doctrina veritas, quam tot diversæ hæreticorum secta sibi vindicant, et de qua disputatur, propria esse possit veræ et unius Christi Ecclesiæ nota; hæc enim inter tot errorum monstra et portenta subsistere nequit. Ergo p.

57. Confirmatur 1.° In mente Lutheranorum et Calvinistarum Ecclesia constat solis justis ac prædestinatis. Atqui per veram Christi Doctrinam et ejus Sacramenta nun-

quam demonstrari poterit, quinam sint prædes- 37
tinati et verè sancti; ac proinde iis nunquam
dignosci poterit, ubinam, et quæ vera sit Ecclesia
Christi. Ergo &c.

Confirmatur 2.do Vel illa pura doctrina, 58.
quam pro nota Ecclesiæ assignant Adversarii,
debet esse ita pura, ut vel minimum excludat
errorem, vel solùm eos, quos vocant fundamen-
tales. Atqui neutrum dici potest. Non
primum; alioqui enim neque apud Lutheranos,
neque apud Calvinistas esset vera Ecclesia; tùm
quia Lutherus lib. de Ecclesia, et Calvinus lib.
4. Instit. c. 1. §. 12. fatentur, Verbum Dei ita
esse notam Ecclesiæ, ut tamen aliquando ma-
gis purè, aliquando minùs purè annuntietur;
tùm quia non diffitentur suas Ecclesias na-
vos aliquos habere; tùm denique, quia neces-
se est vel Lutheranos, qui præsentiam Corporis
Christi realem in Eucharistiâ admittunt, vel
Calvinistas, qui eam negant, errare contra ve-
ritatem à Deo revelatam.

Non 2.dum 1.o Quia hoc pactò nota com-
munis erit pluribus Sectis. Lutherani enim
et Zwingliani non dissentiunt circa præci-
puum fidei fundamentum, putà Trinita-
tem, et Incarnationem. 2.do Quia non-
dum inter se convenire potuerunt Protestan-
tes, quinam errores sint fundamentales.

Non etiam habent secundam conditio-
nem. Si enim tam obscurum sit, imò magis
adhuc, dignoscere, quonam sit pura Christi
doctrina, quanam pura ejus Sacramenta,
quàm quæ sit vera ejus Ecclesia, tunc certè
dici non potest hæc duo notiora esse ac clario-
ra, quàm sit ipsamet Ecclesia. Atqui tam
obscurum est, imò longè magis, dignoscere,
quæ sit pura Christi doctrina, et quæ vera

ejus Sacramenta, quàm quæ sit vera Ecclesia. Ergo p.

Cb. min. Ut certò cognoscatur, quæ vera sit Christi doctrina, tria constare debent; 1º Verbum Dei, in quo illa doctrina continetur, esse re ipsâ verbum Dei. 2º. Versiones Librorum, in quibus legitur hoc Verbum Dei, esse fidelissimas; et ipsos fontes ab omni errore saltem fundamentali esse liberos. 3º. quinam sit sensus istius Verbi, quænam legitima interpretatio. Atqui difficile admodum, ne non arduum est, ne dicam impossibile, hæc omnia ab unoquoque privatò dignosci et explorari, cujus prorsus incapaces sunt rustici, plebeji, illiterati p. Imò et litterati ipsi ac docti de hisce tribus graves habent inter se controversiones, prout ostendimus in Tractatu de S. Scriptura, ubi de Canone, et sensu illius egimus, et etiam alibi passim; quæ controversiones proinde privatorum judicio et auctoritate finiri ac terminari nunquam possunt. Ergo p.

Nec denique tertia conditio ad veram et propriam Ecclesiæ notam requisita convenit veræ Christi doctrinæ p. Cb. 1º Vera Christi doctrina nec sensibilis est, nec obvia, nec omni hominum generi atque conditioni accommodata. Ergo p. Cb. Ant. Tùm quia simplices, rustici, illiterati, plebeji p. prorsus sunt incapaces discussionis seu examinis doctrinæ istius, tenentur tamen illi, si salvi esse velint, veram Christi Ecclesiam agnoscere, et ad eam se recipere: Tùm quia vera Christi doctrina cognosci non potest solo lumine naturali, et per cognitionem ortam à sensibus; tanta enim est mysteriorum ejus sublimitas, ut omnem humanæ rationis captum longe superet; et ita incredibilis appareat, ut stultum vi-

dicatur et insania gemus iis assentiri, ipso Apostolo teste 1. Cor. c. 1. v. 18. et v. 23. Item c. 2. v. 14. Ergo Vera Christi doctrina ~~p~~ non potest esse nota vera illius Ecclesiæ, sed aliunde hæc petenda videtur.

Ob. 2do Signum rei cujuslibet distinguitur à re significatâ, neque pertinere potest ad ejus essentiam; alioquin enim signum aliud foret necessarium, quo discerneretur. Atqui vera Christi doctrina pertinet ad essentiam Ecclesiæ, prout ipsi tenent contendunt adversarii supra argumento quartô à ratione ab ipsis tradito; imò est ~~pars~~ pars illius essentiæ, quæ est invisibilis. Ergo ~~p~~.

Ob. 3tio De vera Christi doctrinâ et legitimo consequenter Sacramentorum usu non modo adversarios inter et nos Catholicos, sed et inter se se ipsos lis est et disputatio ~~atque~~ atque dubium. Ergo deest ipsis tertia nota conditio. Ant. patet. cons. pb. De quo est disceptatio, lis, et dubium, illud clarum non est ~~et~~ sed obscurum, nec omnibus accommodatum. Atqui juxta tertiam conditionem, nota Ecclesiæ debet esse clara sensibilis, obvia, et omni hominum generi, et conditioni accommodata. Ergo talis nota non potest esse Doctrina Christi et legitimus Sacramentorum usus.

Ob. 4to Ad Ecclesiam solam pertinet proponere et determinare, quæ vera sit Christi doctrina, est enim Ecclesia viva et spiratus doctrinæ regula, quam in dubiis circa fidem consulere tenemur; Ergo vera Christi doctrina non potest esse nota Ecclesiæ. Consequentia clara est; quomodò enim vera Christi doctrina esse poterit signum Ecclesiæ, nisi priùs constet, quæ sit vera doctrina? Non constat autem nisi per Ecclesiam. Antecedens non minùs certum est ex communi Patrum senten-

40 tiâ, ut fusè ostendemus, ubi de Supremo Judice controversiarum fidei agemus. Interim revocemus in mentem ea, quæ sup. cit. Tractatu de S. Scriptura disseruimus, ubi nobis de Canone et sensu Scripturarum sacrarum erat sermo.

Ad Argumenta ab Acatholicis proposita, et à nobis superiùs relata respondent Catholici, et quidem ad textus S. Scripturæ

59. Primò. Adducti ab Adversariis Scripturæ textus non videntur præsenti controversiæ satis accommodati; nam nota veræ Ecclesiæ non est congregari quomodounque in nomine Christi; sic enim omnes hæretici, cùm contendant, se esse congregatos in nomine Christi, veram Ecclesiæ Christi notam etiam habebunt; sed congregari per auctoritatem à Christo acceptam, sub legitimis nempe Pastoribus et Episcopis, qui continuâ ab Apostolis traditione, et successione pro Christo ad fideles legatione funguntur ps. Et hoc sensu nota ista coincidit cum Apostolicitate Ecclesiæ, de qua paulo post.

60. Ad 2dum Neque simili ratione vocem Christi audire videtur esse nota Ecclesiæ: siquidem omnes ~~ita~~ hæretici etiam gloriantur, se audire vocem Christi. Deinde textus iste Joan. 10. v. 27. probat quidem, quinam sint electi, non verò, quæ sit vera Ecclesia, et ubinam reperiatur.

61. Ad 3tium textus ille Joan. 15. loquitur de mundatione, quæ fit per verbum Dei, quæ per se est invisibilis; adeoque probat tantùm Ecclesiam mundam esse coram Deo, sed non probat eam mundam esse coram hominibus, atque sic coram ipsis manifestam fieri, quod tamen præstare debet vera Ecclesia Christi nota. Eadem est responsio ad 4tum textum ex Apostolo Ephes. 5. v. 27. adductum.

Etquè parum ad rem facere videntur lo- 61/62.
ca ex S. Augustinô citata. Nam in iis, quæ
adversùs Donatistas sunt, supponit hic S. Doctor, veram doctrinam per Ecclesiam esse dignoscendam, non verò Ecclesiam per doctrinam. Et quando videtur probare Sacram Scripturam et doctrinam in ea contentam veram esse Ecclesiæ notam, non eo sensu est intelligendus, quasi existimet, eam esse notam quamdam simpliciter et respectu omnium etiam infidelium, qui Scripturas non admittunt; sed solummodò esse notam secundùm quid, et ex hypothesi, idque respectu eorum, qui Scripturas agnoscunt. Scriptura ergo est Ecclesiæ nota, non quòd præter illam non sint alia, sed quòd nulla sint, quæ ab ea testimonium non habeant, et ejus auctoritate "eor" fulciantur. Itaque cùm agimus adversùs eos, qui Scripturarum auctoritatem agnoscunt, sola sufficiunt Scripturæ, ut edoceamur, quæ sint Ecclesiæ notæ, eas enim omnes Scriptura declarat, juxta S. Augustinum Ep. 105.

Ecclesia igitur et Scriptura mutuam 63. 8/22
sibi communicant lucem: Ecclesia Scripturæ veritatem probat, Scriptura Ecclesiæ infallibilem auctoritatem, quamquàm in dispari probationis gradu. Ecclesia, ut pote societas externa et visibilis, prior est ac notior Scripturâ, cujus aperta nobis et evidens fit veritas ex variis, quibus undique splendescit motivis credibilitatis, notis nempe seu characteribus, quibus illustrata et munita est. Sic autem demonstratâ Ecclesiæ veritate, Ecclesia ipsammet Scripturam, cujus custos est ac interpres, demonstrat; et vicissim Scriptura supremam et infallibilem auctoritatem Ecclesiæ probat, et asserit: Nec tamen hæc mutua probatio vitiosus est circulus, cum fiat in diverso probationis gradu.

Quæ autem ex eodem S. Augustinô, ubi 64.
contra Manichæos disputat, adducuntur testi-

42. monia, non ex propriâ hâ mente atque sententiâ, sed in illorum duntaxat hypothesi, quam ipsemet non admittit, fatetur, veram doctrinam esse notam Ecclesiæ; non enim aliam Ecclesiæ notam admittebant Manichæi præter doctrinæ veritatem, quam tamen non adeò evidentem et manifestam esse putabatur. Ergo, ut dictum, non ex hâ sententiâ, sed in hypothesi duntaxat Manichæorum, quam non admittit hic loquitur S. Augustinus.

65. Quod Chrysostomum attinet, citatum ab Adversariis Opus, non est illius; tum quia utitur vulgatâ versione latinâ S. Scripturæ: tum quia citat Libros apocryphos, librum nempè Seth, Ezechiæ, Itinerarium Clementis, quorum certè nullus apud genuinum Chrysostomum usus: tum etiam quia multa continet dogmata falsa, hæretica, veræ S. Chrysostomi doctrinæ planè adversa.

Eò tamen sensu in mente hujus Auctoris dici potest Scriptura nota Ecclesiæ, quòd ipsa sola nobis subministret veras notas, quibus possumus eam secernere ab Hæreticorum conventiculis, cum quibus multa communia habemus.

66. Quantum denique ad ea, quæ à ratione adducunt Adversarii argumenta. Primum, si quid probat, planè non aliud vincere videtur, quàm, quòd, ubi ~~vel~~ verbum Dei prædicatur, aliqui boni efficiantur, quin tamen illos cognoscamus; quomodò ergo ad hujusmodi Ecclesiam aditus nobis patere potest? Deinde verum est, verbum Dei esse per se efficax, et semper sanctificare, licùm legitimè prædicatur ab hominibus legitimam potestatem habentibus, et ab auctoritate legitima missis; alias etiam hoc contingit, idem annuntiari apud hæreticos variarum sectarum, ubi tamen non fructificat, neque aliud profert, nisi lolium et zizaniam.

Quod secundum spectat, verum quidem 43
est, generalia illa motiva, de quibus ~~ipsam~~ 67.
evidenter s. evidentiâ, ut vocant, extrinsecâ
vera ostenditur Christiana Religio, non
omnibus statim clarè ac distinctè demons-
trare ac palam facere specialem credentium
in Christum societatem, quæ vera dicitur, et
est Christi Ecclesia: at multus est tam rudis et
tardi ingenii, qui si vel minimum attendere vo-
luerit ad sanctitatem, antiquitatem, extensio-
nem, universalitatem, consensionem populo-
rum, perpetuam et usquam interruptam
Pastorum successionem, statim non inferat,
Romanam Ecclesiam, cui soli charactères illi
conveniunt, veram esse Christi Ecclesiam. Pro-
fectò hæc longè clarius innotescunt, quàm veri-
tas doctrinæ, de qua tot moventur disputa-
tiones, et unctio privata Spiritûs Sancti, quæ
adeò equivoca est, et apertam viam pandit
phanatismo.

Ad tertium resp. Scripturam notio- 68.
rem esse Ecclesiâ secundum quid, cùm nempe
ii, qui inter se disputant, de ipsâ conveniunt,
et clarè loquitur, necnon quæstio est de ipsa
Ecclesiâ. Sic cùm olim disputaret S. Augus-
tinus contra Donatistas, ubinam esset vera
Ecclesia; quia ipsi Scripturas admittebant,
et alioquin claræ erant, idcirco Scripturis
utebatur, ut probaret, Ecclesiam non esse
in solâ Africâ. Non est tamen notior
simpliciter, et absolutè: tùm quia Ecclesiæ
ipsi data est Scriptura, quam alius tradit,
et explicat; tùm quia facilius est Ecclesiam
dignoscere, quàm Scripturam ubique intel-
ligere. Hinc iterum S. Augustinus de Baptismo
Hæreticorum contra Donatistas agebat, quia
circa eundem obscura erat Scriptura, et notior
Ecclesia, idcirco validum eum probat, quod
eum admitteret Ecclesia.

Prima Pp. pag. 23.

69. Deinde sicut, cùm à Testatore institutus est Executor et Interpres Testamenti, ab ipso inquirendum est, quæ sit voluntas Testatoris si fortè obscurè proposita sit, vel alia occurat difficultas: ita pariter, cùm Christus voluntatis suæ interpretem statuerit Ecclesiam, hæc clariùs loquatur, et manifestare possit, quæ sunt obscuriora in Scripturis, idcirco simpliciter dici debet notior Ecclesia, quàm Scriptura.

70. Quartum tenet equidem, si quæstio sit de cognitione rei perfectâ, et, prout Schola loquitur, quiditativâ, qua nimirùm penetretur quid res sit, et quæ sit ejus essentia: Sensus verò, si quæstio sit de cognitione minùs perfectâ, et non secundùm essentiam, seu de eâ duntaxat, quæ sufficit ut cognoscatur, ubi, et quonam res illa sit. Profectò plurima cognoscimus certò et evidenter, quantum satis est, ut ea certò ab aliis distinguamus, quorum tamen essentiam penetrare non possunt etiam perspicaciissimi: sic facilè est, et omnibus obvium secernere frigus à calore, lucem à tenebris, locum, tempus &c. ea tamen intelligere et explicare nihil difficilius. Sic fatemur Ecclesiæ naturam non posse cognosci, quin vera Christi doctrina cognoscatur; Sed necesse non est, ut ejus natura penetretur ab iis omnibus, à quibus adiri debet: alioqui vel rudioribus non pateret, vel saltem eam ingredi non tenerentur, cùm ipsius cognoscendæ sint incapaces, aut ex imperitiâ, aut ex defectu ingenii. Præterea tantum abest, ut per cognitionem doctrinæ et Verbi divini homines adducantur ad Ecclesiam, quin imò contendimus, per Ecclesiam adducen-

dos esse ad cognitionem veræ doctrinæ; adeoque 45.
secundum ordinem generationis et naturæ, cognitio fidei supponit cognitionem Ecclesiæ, justa Apostolum Rom. 10. v. 15. Quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur? At missio, nisi fuerit prorsus extraordinaria, non potest fieri nisi per autoritatem Ecclesiæ.

Sed adhuc regerunt adversarii: Scriptura 71. NB.
cognitioni et communioni veræ Ecclesiæ præmittere solet fidei et doctrinæ examen: Ergo fides et doctrina Christi sunt notiores ipsâ Ecclesiâ. Ant. prob. ex S. Scripturâ. Matth. c. 28. v. 19. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos. Act. 2. v. 42. adjungentur Ecclesiæ, qui prius per Apostolos doti fuerant. Et c. 8. v. 12. Qui credunt Samariæ baptizantur. Ergo sicut in adultis fides debet præcedere Baptismum, qui est introitus in Ecclesiam; ita fidei examen et cognitio debet præcedere cognitionem Ecclesiæ. favent SS. PP. Hieronym. in Psal. 133. Ambrosius in Luc. lib. 6. n. 68. et S. Augustinus lib. de Unit. Eccles. c. 3. n. 5.

Resp. Dist. ant: Scriptura fidei ac doctrinæ examen præmittere solet, tanquam dispositionem in adultis necessariam ad percipienda fidei Sacramenta, conc. tanquam veram et propriam Ecclesiæ notam. neg. ant. Doctrina illa fidei, qua prius informari necesse erat eos omnes, qui ad Christum accedere volebant, ab Apostolis dumtaxat, aut viris Apostolicis tradebatur, hoc est, ab ipsamet Ecclesiâ; ergo vera doctrina per Ecclesiam prius tradebatur, et cognoscenda erat, non verò Ecclesia per doctrinam. Qui porrò eâ Ecclesiæ doctrinâ prius imbuti fuerant ii Societati fidelium, seu Corpori Eccle-

2
24

46. Sic inserebantur, et incorporabantur per Sacramentum Baptismi. Nihil profectò aliud ex citatis testimoniis extundi potest.

Nec alius est SS: Patrum, qui laudati sunt, sensus; imprimis verò S. Augustini, qui disputans contra Donatistas, non ad Ecclesiam, de quâ non conveniebant, sed ad Scripturam, quam illi admittebant, eos provocare necesse habuit, ut ex eâ veras Ecclesiæ notas, seu veræ Ecclesiæ naturam et caracteres dignoscerent. Quæstio inter nos versatur, ajebat, ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, utrum apud illos.

* lib. cit.

72. Addunt denique. Illa est vera Ecclesiæ nota, quæ semper usurpata fuit, vel ut Ecclesia vera secerneretur à falsâ; vel ut ipsa, ubi paululum defecerat, restitueretur, et pristinos resumeret veræ Ecclesiæ characteres. Atqui veritas Doctrinæ semper usurpata fuit, tùm ut vera Ecclesia secerneretur à falsa, tùm ut primæ conditioni restitueretur. Ergo &c.

Ob: min. quoad primam partem ab exemplo: ~~Sic Jerusalem~~ ut vera Dei Ecclesia agnita fuit, Samaria autem ut falsa; quia filios, quos per circumcisionem gemerat, à verâ Doctrinâ, à verò cultu avocabat, atque immolare in excelsis permittebat.

† Sic Jerusalem

Ob: etiam quoad 2dam partem sequenti exemplo. Sic in Veteri Testamentò, ut Synagoga restauraretur, statim à verò Dei cultu, à verâ Doctrinâ et legitimò Sacrificiorum et Sacramentorum usu reparandis incepta fuit reformatio. Ita Josias impiis Regibus Manasse et Amon succedens, ut Synagogam restitueret, statim Legem Dei proponit, deinde Pascha celebrat. 4. Reg. c. 23. Idem fecerunt Nehemias et Esdras.

Resp. neg. min. Neque enim afferri potest pro notâ Ecclesiæ veræ, quod Hæretici apud se habere semper gloriati sunt, quam-

quam immeritò. Atqui testatur S. Augustinus, nullam fuisse Hæreticorum Sectam, quæ non gloriaretur, se puram habere Doctrinam.

Ad 1ram probationem: Diximus, non propter Doctrinæ puritatem Jerusalem velut Civitatem Sanctam ac veram Ecclesiam habitam fuisse; tùm quia et Doctrina et Sacrificia aliquando corrupta fuerunt à Judæis, prout de ipsis conqueritur Ezechiel c. 16. v. 23. Tùm quia hæc aliquando pura fuêre apud Samaritanos. Sed idèo non censebatur Samaria esse vera Ecclesia; quia, ut refert Josephus lib. 13. Antiq. c. 6. continuas Pontificum in Sacerdotiô Successiones numerabat Judæa, non Samaria: utpotè cùm in monte Garizim recentiùs ædificatum fuisset Templum Dei, nempe circa tempora Alexandri Magni.

Ad 2dam meritò vera Doctrina, et rectus Sacramentorum usus restitui debent, ut reparetur Ecclesia, quæ ab eis defecerat; sed hinc inferri non potest, esse notas Ecclesiæ restitutæ; sunt quidem fructus restitutionis, non verò nota; nam Sacramenta, Evangelium &c, possunt esse apud Hæreticos, ub observat S. Augustinus*. Sicut igitur, si coortâ Seditione Desertor aliquis vexilla regia in loco eminentiori figeret, ut iis conspectis subditos Regis in suas partes traheret, temerè conuerrent subditi ad Sola vexilla jam penes Desertores posita: sic planè tutum non est recurrere ad eam Ecclesiam, quæ prædicat se habere veram Doctrinam, et vera Sacramenta; cùm hæc Desertores Ecclesiæ penes se habere dicant: Sed quemadmodum eô recurrendum est, ubi sunt Duces Regis et Magistratus legitimi, ita confugiendum est ad eam Ecclesiam, in qua sunt veri et Apostolici Pastores, id est, ubi apparet antiquitas, universalitas, Successio, unitas &c. Unde S. Augustinus, Nullus, inquit, prædicans nomen Christi, et gestans ac ministrans Sacramentum Christi, sequendus est contra unitatem Christi.

* Serm. Sup. gest. Emeriti.

* lib. 3. cont. Petilian. c. 9.

3/25

48. Quæ contra Doctrinam, velut Adversariorum
73. veræ Ecclesiæ notam hactenus disputavimus, etiam
de altera ipsorum nota usu nempe Sacramento-
rum legitimè intelligenda veniunt, ut qui ad Doctri-
nam consequatur, illisque sit consentio. Et
vel ex eo legitimus iste Sacramentorum usus tan-
quam Ecclesiæ veræ nota rejiciendus videtur, quod
hanc notam sibi omnes sive Catholici, sive Ac-
tholici vindicent; quî ergò per eam dignosci po-
terit, quinam eorum veræ Ecclesiæ cohæreant?

Minùs etiam notus est hic legitimus Sa-
cramentorum usus, quàm Ecclesia, utpote quæ,
ut supra dictum, ipsâ Sacrâ Scripturâ, à quâ
pendet ille legitimus Sacramentorum usus, est
notior.

74. Denique, ut exemplo rem concludamus,
Ecclesia Corinthiorum erat vera Ecclesia, et
tamen ab Apostolo reprehenduntur Corinthii,*
quòd non sincerè tractarent Sacramentorum
præsumum. Similiter Africanæ Eccle-
siæ, quæ Cypriano et octoginta sex Episcopis
illis, quorum sententiam ipse refert,* para-
rebant, veræ erant Ecclesiæ, ut docent Au-
gustinus lib. 6. c. 7. de Baptismo; et Hierony-
mus contra Luciferianos; et tamen non sin-
cerè tractabant Sacramentum Baptismi,
ut idem ambo hi SS. Patres ibidem memo-
rant. Ergo Legitimus Sacramentorum usus
non potest assignari tanquam veræ Ecclesiæ
nota et character.

75 Explosis igitur Nostri ævi Acatholico-
rum seu Protestantium binis Ecclesiæ notis
modò ad eas veniamus, quas Catholici velut
genuinas assignant, ubi, ut jam supra no-
tatum, nec inter se conveniunt, Jam alii
plures, paucioros alii assignant, quamvis eas
omnes velut ad has quatuor Symbolo Nicæno
his verbis, unam, Sanctam, Catholicam, et
Apostolicam expressas referant.

* 1. Cor. 11.

* Ep. ad Quirin.

NB

Nos ad designandam veram Christi Ecclesiam 49.
sufficere abitramur, si demonstrari possit 1.o Quod
sit Una. 2.do Sancta. 3.tio Catholica.
4.to Apostolica. 5.to Romana. 6.to Visi-
bilis. 7.mo denique, quod sit Indefectibi-
lis. Hasque esse notas, quibus veram Eccles-
am demonstrari oportet, censemus; de quibus
proinde ~~Sign~~ singulis Paragraphis nobis trac-
tandum est. Sit igitur.

§. Primus.

De
Unitate Ecclesia.

Ecclesia, ut jam supra in prologio hujus 76.
Tractatus annotavimus, est corpus virorum.
Praecipua verò unitas corporis consistit in con-
junctione membrorum cum capite, et inter
se. De unione membrorum cum capite
dicemus inferius §. 5.to ubi expendemus, an ve-
ra Christi Ecclesia sit Romana. Hic verò
agimus de unione membrorum inter se; adeò
ut, sicut varia membra inter se colligata, unum
corpus constituunt, ita etiam plurimae per
orbem sparsae particulares Ecclesiae imo doctri-
nae vinculo inter se conjunctae ac colligatae
unam componant totalem, et universalem
Ecclesiam.

Unitatem Ecclesiae demonstrant nomina, 77.
figurae, et parabolae, quibus eam adumbrant
Sacra Scripturae: nam propter idam unitatem
Ecclesia vocatur Corpus Christi, Ovile, Sponsa.
Propter idam unitatem expressa fuit per Para-
disum terrestrem, Arcam Noë, Templum Jero-
solymitanum, Vestem Christi inconsutilem.
Propter idam unitatem à Christo designata
fuit parabolis, Agri, qui unus est; Sagena,
quae in unum congregat; Area, quae paleas
cum granis colligit.

4
26

50. 78. Præterea hanc unitatem disertè declarat Apostolus 1. cor. 12. v. 12. comparatione corporis humani, quod unicum est, licet variis membris constet ad varia officia destinatis: nempe tùm propter unitatem Capitis; tùm propter unionem membrorum cum capite; quam comparationem usque ad finem hujus citati capitis prosequitur, et v. 27. sic concludit: Vos autem estis Corpus Christi, et membra de membrò. Item Ephes. 4. v. 3. 4. et 5. his verbis: Solliciti servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Unus Deus et Pater omnium.

79. Eandem Ecclesiæ unitatem etiam declarat constans ac perpetua SS. Patrum Traditio, ut Sancti Cypriani, qui in eo, quem de præscriptione argumento scripsit, librò pluribus adversus Novatianos probat, Ecclesiam esse unam; atque post multa hanc in rem adducta argumenta, hisce concludit: Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et fides una, et plebs in solidam corporis unitatem concordiæ glutinò copulata.

S. Optatus Milevitanus lib. 1. ante medium: Christus, inquit, Sponsus est unius Ecclesiæ, sicut in Cantiis Canticorum ipse testatur: qui cùm unam laudat, cæteras damnat.

S. Augustinus ex professo in suis contra Donatistas operibus probat Ecclesiam esse unam. Idem argumentum alibi passim tractat, cujus proinde mens atque sententia tam nota est, ac omnibus manifesta, ut necesse non videatur, hic ipsius verba exscribere.

80. Verùm hoc in capite diutiùs immorari superfluum videtur, cùm Acatholici ultrò admittant, Ecclesiam Christi esse et dici debere Unam. At verò hujusmodi Ecclesiæ unitatem seu universalitatem per hoc sufficienter

salvari autumant, quòd omnes Ecclesiæ, seu Societates, 81
quæ Christiano nomine utuntur, in præcipuis fidei
articulis, quos fundamentales vocant, licet in aliis
minus præcipuis, quos non fundamentales nuncu- & non errent;
pant, à se invicem discrepent non modò, sed et
nullam omninò communionem inter se habeant,
imò mutuis sententiis se se dilacerent, ac excom-
municent.

Et quamvis nec satis inter se ~~conveniant~~,
consentiant in designandis, et figendis articulis
illis, quos fundamentales appellant, hæc tamen
apud ipsos generatim agnoscitur articulorum fidei
fundamentalium idea et notio: nempe veritas
fundamentalis est ea, quæ Christiano fidei
ita est essentialis, ut qui eam neget omninò
sit extra Ecclesiam, nec proinde ullam spem salu-
tis habere possit; ut Trinitas personarum in
Deo; Verbi divini incarnatio. Veritas autem
non fundamentalis est quæcunque alia, quæ
sine salutis dispendiò ignorari, aut etiam ne-
gari potest, sive ab Ecclesiâ definita sit, sive
non. Qua hac suâ articulorum fidei fun-
damentalium et non fundamentalium ideâ
ac notione ad tantas redactos se tandem vident
angustias, eoque apud ipsos ventum est, ut mo-
dò vix præter Trinitatis in uno Deo, et Verbi
Divini Incarnationis articulum, aliam funda-
mentalem fidei veritatem, cui inhærere quis
teneatur in suis Societatibus retineant, prout
mox demonstraturi sumus. Sit proinde

Conclusio prima.

Vera Christi Ecclesia ita est una, ut ex- 81.
cludat quasunque alias Hæreticorum Socie-
tates, quarum fides est diversa et erronea
in articulis etiam, quos Acatholici non fun-
damentales nuncupant.

Pb. Conclusio 1.° Quia hæc Novatorum
opinio, quâ volunt Ecclesiam universalem complec-

S/27

52. ti omnes Hæreticorum Sectas, modò non erent in iis, quæ ipsi propriò suò geniò assignant, fidei fundamentis, semper toti antiquitati incognita fuit. Pb. Nihil frequentius apud antiquos seu Patres seu fideles, quam nomen Ecclesiæ, quam se credere publicè profitebantur, imò et nomen Catholicæ, quo sæpissimè utebantur, ut Ecclesiam, cujus professione gloriabantur, distinctiùs significarent. Atqui his nominibus nusquam intellexerunt Societatem universalem, quæ omnes completeretur; sed unicam communionem, à qua quilibet hæretici excluderentur, his nominibus significari clarè ac distinctè docuerunt.

82. Ut S. Irenæus lib. 3. adv. hæres. c. 4. ubi dixit, veritatem in Sectis hæreticorum quærendam non esse, quam facilè est invenire in Ecclesiâ; cujus centrum esse Romanam Ecclesiam ~~docet~~ tradit ibid. c. 3. ad quam, inquit, propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio. Et lib. 1. c. 10. asserit, omnium Ecclesiarum eandem esse traditionem et fidem.

Tertullianus lib. de Præscript. c. 4. ait, non minorem esse Ecclesiæ persecutionem per hæreses, quàm per ipsum Antichristum. et c. 30. Doctrinam Ecclesiæ Catholicæ Hæreticis Sectis opponit.

Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. Docet, „Conuiviabula Hæreticorum longè esse posterio„ra antiquâ Ecclesiâ, quam unicam tantùm „esse affirmat, quamvis optarent hæreses „eam in plures Sectas dividere. quod et nunc optant Acatholici seu Novatores nostri.

Irenæus, inquit, natura sortem coaptatur Ecclesia, quæ est una, quam conantur hæreses in multas disindere; eaque, quæ antiqua est et catholica, una est propter unitatem fidei.

Origenes lib. i. in Job. Ad dimicandum, inquit, adversus Ecclesiam, non tria tantùm corpora, sed innumera atque inæstimabilia omnes sectæ, atque hæreses faciunt, per quas universas adversus Ecclesiæ unitatem inegestanter dimicant.

S. Hilarius lib. 7. de Trinit. n. 4. Hæretici, ait, omnes contra Ecclesiam veniunt. Sed dum hæretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria enim eorum, Ecclesiæ triumphus ex omnibus est, dum eo hæresis contra alteram pugnat, quod in hæresi alterâ Ecclesiæ fides damnat..... Et inter hæc fidem nostram, dum sibi adversantur, affirmant.

S. Justinus Dialog. cum Tryphon. Sunt igitur, inquit, et fuerunt viri amici permulti, quia athea [hoc est, impia] et blasphema, et dicere et facere docuerunt, in nomine Jesu progressi: et sunt à nobis, sub nomine eorum virorum, unde doctrina et sententia quælibet extitit, denominati..... cum quibus nihil nobis est communionis, atheos atque à Deo alienos, et impios, et injustos, et iniquos ipsos esse scientibus.

Alexander Patriarcha Alexandrinus Ep. ad Alexand. Patriarch. Constantinop.* dicit se credere unam et solam Catholicam Apostolicam Ecclesiam, inexpugnabilem semper, etsi totus eam mundus oppugnare instituat, victricemque omnis impiæ diversa sentientium rebellionis.

* apud Theodoret. Hist. Eccl. lib. i. c. 3.

S. Hieronymus Dial. cont. Luciferianos circa finem dicit, Societatem Marcionitarum, Valentinianorum, Montanistarum.

54. Novatianorum non esse Ecclesiam Dei, sed Synagogam Antichristi. Paulò ante dixerat, se omnes propositionum rivulos unò Ecclesiæ Sole sicare posse.

Ex his SS. Patrum textibus et sententiis patet, eos nomine Ecclesiæ, quam profitebantur, quamque interdum, ut distinctius eam significarent, Catholicam appellant, unicam intellexisse communionem, à qua quilibet Hæretici excludeventur. Nullum hic ab ipsis positum discrimen, inter illos hæreticos, qui in fundamentalibus, ut ajunt Novatores nostri, fidei articulis ab eâ dissentirent, et illos, qui nonnisi in ~~fundam~~ non fundamentalibus ab eâ ~~dissentiunt~~ sejuncti essent. Ergo perperam ab Adversariis nostris, et contra mentem antiquorum Ecclesiæ Patrum confiteretur erronea hæc distinctio.

83. Jd ultro Prob. 2do. Ex Concilijs. Concilium Nicænum in nostrô sensu duobus in locis utitur nomine Ecclesiæ Catholicæ, scilicet in Symbolô, ubi dicit eos, qui non credunt filium esse unum Patre ejusdem substantiæ, anathematizari à Catholicâ et Apostolicâ Ecclesiâ. Et Can. 8. ubi loquens de Catharis seu Novatianis redire ad Ecclesiam Catholicam volentibus, necessariò supponit, eos ab Ecclesiâ Catholicâ separatos fuisse.

Concilium Laodicenum Can. 9. prohibet ijs, qui sunt de Ecclesiâ, suas preces offerre in oratorijs Martyrum, quæ ad Hæreticos pertinent. Et Can. 10. iisdem vetat, ne filios suos cum Hæreticis matrimoniô conjungant.

Concilium Constantinop. I. quod est Universale IIus. Can. 6. Eos Hæreticos appellat, qui ab Ecclesiâ abdicati sunt, et anathematizati: et eos, qui se sanam fidem confitori præferunt, avulsi autem sunt, et abrupti, et adversus Canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt. Item Can. 7. post-

6/28

* celebratum an. 381.

quàm statuit, Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Quartodecimanos, Apollinaristas solâ unctione recipiendos esse, subjungit, ab iis postulandam esse fidei professionem, quâ scriptô etiam declarent, se anathematizare omnem hæresim, quæ non sentit ut Sancta Dei Catholica et Apostolica Ecclesia. 55

Concilium Sardicense in Epistolâ ad omnes totius orbis Episcopos, quæ refertur apud Athanasium Apologiâ 2. de fugâ suâ, Arianos nominatim excommunicans, dicit, æquum esse, eos, qui separant filium à patre, et Verbum à suô patre alienant, ab Ecclesiâ quoque catholicâ separari, et alienos, indignosque haberi Christianô nomine.

* Episcopi Africani in errorum abjuratione factâ à Leporiô postulaverunt, ut profiteretur, se suscipere et tenere, quod ordo Ecclesiæ tenet aut suscipit. * Tom. 2. Conc. p. 1583.

Cœlestinus in Epistola ad Nestorium, quæ refertur in Conciliô Ephesinô, et in Quintô generali, monet, ipsum separandum à communione Ecclesiæ Catholicæ et Universalis, nisi amplecteretur doctrinam, quam sequitur Ecclesia Romana, et Alexandrina. Non comminatur Pontifex, Nestorium excludendum fore à communione omnium sectarum, quarum nomine sic loqui non poterat, et quæ ejus auctoritatem prorsus spernebant: ut et adducta à nobis Concilia per Ecclesiam universalem, nullam aliam intelligunt, quàm Catholicam, Apostolicam et Romanam, quâ omnes ~~omnes~~ totius orbis Ecclesiæ sub unicâ eâdemque communione ~~omnes~~ continentur, et a qua omnes Hæreticos, sive in fundamentalibus, sive in non fundamentalibus fidei articulis abea discrepent, exclusos pronuntiant.

Lib. 3tio Rationibus Theologicis. p. 84.

Si Ecclesia ita una sit, ut non ~~ob~~ excludat Hæ-

56. reticorum Societates, quæ non erant in præcipuis fidei fundamentis, sequeretur universam Ecclesiam Orientis et Occidentis per multa sæcula erasse. Hoc autem dicere omninò absurdum, ne dicam, impium est. Ergo p.

Cb. sequela Maj. Tunc erravit, quando Baptismum ab Hæreticis, qui in fundamentalibus fidei articulis erabant, collatum admisit. Atqui hujusmodi Baptismum admisit. Ergo p.

Sequela Majoris prob: Juxta Catholicos, Baptismus ab hujusmodi Hæreticis collatus non est validus: Ergo si Ecclesia universalis eum admisit, tunc erravit. Cb. ant. Juxta Catholicos, sola vera Ecclesia potest legitimum conferre Baptismum. Atqui sola et omnis Societas, quæ non erat in articulis fundamentalibus fidei, est vera Ecclesia. Ergo omnis Societas, quæ in hujusmodi articulis erat, cum non sit vera Ecclesia, neque etiam legitimum conferre potest Sacramentum. adeoque, qui illum admittunt, in errore versantur.

7/29

Cb: etiam min. prioris argumenti. Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ p. in fundamentalibus fidei articulis erabant. Atqui horum omnium Baptismum admisit Ecclesia universa Orientis, et Occidentis. Ergo erravit.

Cb: Maj. Ariani, divinitatem filii; Macedoniani, divinitatem Spiritus Sancti; Apollinaristæ, animam rationalem à Christo assumptam negabant. Atqui hi, juxta Catholicos sunt fundamentales fidei articuli. Ergo hi Hæretici hujusmodi articulos negabant, adeoque in iis erabant.

Cb. etiam min. Ex Conciliis Nicanò et aliis, item ex SS: Augustinò lib. 3. de Baptismo c. 15. et lib. 4. c. 16. Hieronymò dial. cont. Luciferianos. quid testantur. Unde patet, aut Ecclesiam universam Orientalem et Oci-

dentalem per tot Sæcula non fuisse veram Ecclesiam, ut potè quæ erraverit, dum iborum Hæreticorum Sacramenta admisit; vel, si fuit vera Ecclesia, non distinxisse idos duplicis generis errores: nec existimasse, excludendos solùm ab Ecclesia universalis Societate eos, qui in fundamentalibus fidei articulis errarent.

2°. Ex Sententiâ Acatholicorum sequeretur, per Sexdecim Sæculorum spatium nullum ex fidelibus Symbolum professionis suæ fidei, quo par est, modò intellexisse. Atqui dicere insanum est. Ergo p.

Ob. maj. Fideles isti Symbolum suum non aliò modò intelligebant, quàm eò, qui ipsis exponebatur à Doctoribus et Episcopis horum temporum: Atqui Articulum de Ecclesiâ nunquam aliâ ratione exposuerunt SS: Patres, Episcopi, et Ecclesia universa, quàm eò sensu, qui excludit omnes Hæreticorum Sectas et Societates. Ergo p.

3°. Ex Sententia eorumdem Novatorum, illusoria, falsa, et injusta fuissent fidei professiones, quas à tempore Concilii Nicæni semper ab Hæreticis postulavit utraque Ecclesia Orientis et Occidentis; dum nempe ab ipsis exegit, ut omnes hæreses ab eadem Catholicâ Ecclesiâ damnatas, et proscriptas ejurarent. Atqui hoc tueri plusquam absurdum est. Ergo p.

4°. Omnes Episcopi tum Orientis, tum Occidentis infignis calumniæ et injustitiæ rei fuissent, dum ita apud se esse Catholicam Ecclesiam professi sunt, ut ab ejus sinu omnes Haereticos excluderent. Atqui nemo huic usurpationi per duodecim et amplius sæcula contradixit. Ergo p.

5°. Junta Acatholicos non essent fugienda Hæreticorum consortia, ut qui vera-

58 non Sens ac cæteri fideles Ecclesiæ Universalis, adeoque Catholica, membra essent. Atqui hoc pugnat contra Sensum omnium Sanctorum Patrum ipsiusque Universalis Ecclesiæ Sententiam; hi enim hujusmodi consortia fugienda docent, et passim mulcant. Ergo p.

6.to Denique. Non possunt Adversarii præcisè et clarè designare, quinam fidei articuli sint fundamentales, quinam verò ab iis excludendi. Ergo nec possunt eas Societates designare, quæ ad Ecclesiam universalem pertineant eique conjungantur; quænam verò ab ea sint extores.

Consequentia patet; cùm enim, justà ipsos, unitas Ecclesiæ universalis ab unitate articulorum fidei fundamentalium duntaxat repetenda sit; manifestum quoque est, quòd, si non possint clarè et distinctè demonstrare, quinam pro fundamentalibus, quinam verò pro non fundamentalibus fidei articulis habendi sint, nec etiam Societates illas designare valeant, quæ ad Ecclesiam universalem pertineant, vel non pertineant; cùm hi semper ipsis ignotum futurum sit, num ea Societates fundamentalium articulorum fidem teneant, necne.

8/30

Ant. Prob. Si hujusmodi articulos designare valerent, tum id ab ipsis prestari deberet vel auctoritate Sacrarum Scripturarum, vel Ecclesiæ ipsius, vel denique Spiritus privati. Atqui nec primâ, nec secundâ, nec denique tertiâ auctoritate id prestare valent. Ergo multatenus id prestare possunt.

Maior propositio demùm manifesta est, utroque eam admittere debent Adversarii, nec enim ullum aliud hujusmodi articulos designandi aut probandi genus ab ipsis fingi potest.

Min. prob. quoad 1.um Sacræ Scripturæ passim sunt obscuræ, atque in varios sensus trahi possunt, et re ipsa trahuntur

ab Adversariis. Ergo ipsarum autoritate demonstrari non potest, quinam sint articuli fidei fundamentales, quinam non fundamentales.

Ant. patet ex iis, quæ in Tractatu de S. Scriptura fusè disseruimus. Consequentia ex eò autem manifestè sequitur; atque magis adhuc sequenti, prætermissis pluribus aliis, illustratur exemplò. Juxta Protestantes Calvinistas et Lutheranos articulus de SS: Trinitate est fundamentalis fidei articulus. Atqui, omissò, quòd in Sacris Scripturis nusquam satis clarè et distinctè exprimatur; ex iisdem Sacris Scripturis Ariani, et Sociniani probare totis viribus allaborant, illum nedum non fundamentalem, sed omninò erroneum esse. Et sic de pluribus aliis fidei articulis inter Acatholicos controversis. Ergo autoritate S. Scripturæ neutiquam clarè et distinctè demonstrari potest, quinam fidei articuli sint fundamentales, quinam verò non fundamentales.

Pb. Min. quoad 2dam Non potest ostendi, quòd unquam in Ecclesiâ Universali, vel etiam quâdam particulari aguita fuerit distinctio illa articulorum fidei fundamentalium, et non fundamentalium. Ergò etiam autoritate Ecclesiæ hujusmodi articulorum distinctio designari non potest.

Ant. ex se patet, atque à nobis firmatum fuit tum Patrum, tum Conciliorum sententiâ paulò superiùs, ubi ostendimus, fideles omnes per Ecclesiam Universalem semper intellexisse unicam communionem, à quâ quilibet Hæretici, sive Sociétatés, quæ cum eâ in quibusunque fidei articulis non convenirent, excluderentur. Ergo p.

At fortè Adversarii nostri Lutherani et Calvinistæ novam sibi fabricabunt Ecclesiam, quæ id affirmet: at caveant ne et alii, qui in pertensis his fidei fundamen-

60. talibus articulis cum ipsis non consentiunt, sibi suam etiamnum fabricent, quam eis opponant, et quo id neget, quod ipsi affirmant?

85. Equidem, ut omnis hac tollatur verborum ambiguitas, nos Catholici, et nobiscum Universa Ecclesia, non diffitemur, aliquos fidei articulos ~~[illegible]~~ dici posse ~~[illegible]~~ pro aliis, ad quos comparantur, fundamentales duplici sensu: nempe vel quia aliquorum, non verò omnium distincta et explicita fides ad salutem est necessaria, ut sunt articuli SS. Trinitatis, Incarnationis, &c. vel quia unus articulus est radix et fundamentum alterius: v.g. duplex in Christo natura radix est, ac fundamentum duplicis in eô voluntatis, et operationis.

Atqui verò ubi de fide horum articulorum agitur, atque ad fidem et revelationem comparantur, seu fide divinâ revelati creduntur, contendimus omnes articulos revelatos eô sensu esse fundamentales, quòd, qui illos negare aut impugnare ausi fuerint, ab Ecclesiæ universalis communione prorsus extorres fiant, nec salvi fieri possint. Similiter errores fundamentales eos esse tuemur, qui ab Ecclesiâ damnati et proscripti fuerint, nemique sub eadem interminatione unquam esse licitum, eos contra sententiam Ecclesiæ propugnare. Ergo Ecclesia nostra seu Catholica et Universalis nullos fidei articulos nisi fundamentales, ~~nullosque~~ contra fidem errores nisi etiam fundamentales ad fidem nempe et revelationem comparatos seu expensos agnovit, nec unquam agnovit.

Prima Q.q
pag. 31

86. Denique eadem minor quoad tertium. Si autoritate Spiritus privati demonstrari posset, quinam forent fundamentales fidei articuli, quinam verò non fundamentales, tunc tot forent hujusmodi articuli, quot forent privati Spiritus, id est quot essent homines, quilibet enim eorum

privatô Spiritu suô gaudet; atque pro eo sibi suos 61
fundamentales fidei articulos effingere potest,
et sic quot Capita, ut vulgaris fert paremia,
tot erunt sententiæ; et cum, ex adversariorum
sententiâ, verum Ecclesiæ universalis systema
ab unitate fundamentalium fidei articulo-
rum pendeat, tot erunt Universales veræ Eccle-
siæ, quot ferè erunt in Orbe Christianô homi-
nes. Quod quam paradoxum sit et inaudi-
tum, ne quid amplius dicamus, vel oppus videt.

Conclusio secunda.

Ecclesia Catholicorum illam habet uni- 86.
tatem, quæ nota est, ac caracter veræ Ecclesiæ
Christi: Non autem Ecclesia ~~Protestantium~~

Pb. 1ma Pars. Unitas, quæ nota est et
caracter veræ Ecclesiæ in tribus potissimum
consistit, nempe in universali fidei et doctri-
næ consensione, simili ubique regimine, et
communione cum uno Capite visibili Romanô
Pontifice, qui sit unitatis origo et centrum.
Tria enim præcipuè requiri dignoscuntur ad uni-
tatem Societatis alicujus, ~~[illegible]~~ scilicet,
unitas Spiritûs, regiminis, et capitis.
quæ tria ubi sunt, ibi profectò perfecta
unitas invenitur. Atqui hæc tria occur-
runt in Ecclesia Catholicorum. Ergo p.

Pb. 2da Conclusionis pars, nempe 87.
Protestantium Ecclesiam non habere ham
unitatem. 1o Protestantes non habent
consensionem in doctrinâ. Hæc enim duo-
bus potissimùm momentis probari potest;
constanti scilicet eorundem fidei dogmatum
professione, et ejusdem fidei publicis confes-
sionibus: Atqui Protestantes in neutrô
capite consensionem habent. Ergo p.

Pb. min. Non habent consensionem in
articulis seu dogmatibus fidei. Nam ut

62 de multis taceamus, in quibus profectò infinita propemodum fuêre variationes, tum apud Lutheranos tum apud Calvinistas, prout fusè demonstrat Benignus Bossuet Meldensis Episcopus in suo Gallicô Opere de Variationibus Ecclesiarum Protestantium, unum duntaxat articulum præsentiæ realis Christi — in Eucharistiâ hîc attingemus. Anno Christi 1631.

In Synodô Nationali Charentoniana Calvinistæ Galli Solemni Decretô sanivêrunt pacem et fœdus cum Lutheranis Confessionis Augustanæ qui præsentiam realem Christi in Eucharistiâ tuentur, nihilque in eorum cultu esse, quod perfectæ unioni atque eorumdem Sacramentorum participationi obstare posse declarârunt. Hinc Dallæus Minister Calvinianus in Apologiâ hujus Synodi c. 7. et in Epistolâ ad Monglatium, fatetur, doctrinam de præsentiâ reali medum continere venenum, nec esse contrariam pietati, aut gloriæ Dei.

Attamen ante hanc Synodum palam dicebant, hoc momentum esse unicam suæ ab Ecclesiâ Romanâ separationis causam. In actis Martyrum eorum nihil frequentius legitur, quàm ob solam realitatem tot abyssis sustineri tormenta, per quam ipsius fidei et pietatis fundamentum subverti existimabant. Nihil sæpiùs in eorum libris legimus, quàm horrendam esse Catholicorum præsentiam realem tuentium doctrinam, quos cyclopes, antropophagos, parricidas, humanæ Christi naturæ et ejus Ascensionis in Cœlum hostes et inimicos, idololatras p. vocant. Imò hac nostra ætate plurimi, quibus hæc eorum variatio compresta non est, ingenuè confessi sunt, se facilè in aliis omnibus nobiscum consensuros, si præsentiæ duntaxat spiritualis opinionem non damnaremus.

2 dat
31

Nec habent consensionem in Confessionibus 63
suis, utpotè quæ varia sunt et contraria tam apud 88.
Lutheranos, quàm Calvinistas.

Lutherani primam ediderunt an. 1530. quæ Augustana dicta est, quòd in hac urbe Carolo V. Imperatori fuerit oblata. Postea annô 1537. Articuli Smalcaldenses fuêre collecti, qui Concilio Tridentino, quod Mantuæ à Paulô III. Papâ indictum fuerat, offerri debebant. Alia deinde Confessio, quæ dicta est Saxonica Synodo Tridentinæ oblata an. 1552. Alia Wittembergensis anno sequenti eidem Concilio oblata. Hæ quidem omnes, licèt inter se in plurimis contrariæ, ab universâ tamen Lutheranorum Societate subsignatæ fuerunt; ita ut in eâdem Saxonia Provinciâ intra decem annos prodierint contradictoriæ sententiæ publicô nomine, decretisque publicis consignatæ de re omnium gravissima. Nam in Synodô Dresdensi an. 1571. communi consensu rejecta fuit sententia Brentii, Illyrii et aliorum de Persona Christi seu ejus Ubiquitate; et tamen idem ipsam sententiam, tametsi priùs à se damnatam, publicè receperunt in Libro Concordiæ; et tam Synodus, quàm ipsa Concordia Wittembergæ impressæ fuerunt Principis Saxoniæ autoritate.

Calvinistæ autem et Defensores sen- 89.
sûs figurativi in Eucharistiæ Sacramento, aliam quoque fidei Confessionem Carolo V. eodem tempore obtulerunt, quæ vocatur Argentinensis. Parùm et illa suis placuit. Helvetii quatuor suæ sive Scripserunt. Galli et Genevenses suam quoque peculiarem habere voluerunt. In Anglia duæ etiam eodem fermè tempore visæ sunt, et duæ aliæ sub nomine Ecclesiarum Scotiæ. In Belgiô etiam

64 alia conscripta fuit, quæ in Synodô Dordracenâ approbata fuit. Nec defuit etiam Polonis sua, quæ in Synodô Sendomiensi edita est an. 1570. Legi possunt omnes illæ Confessiones variæ in unum corpus collectæ, et typis excusæ Genevæ apud Petrum et Jacobum Chovet an. 1612. Ergo Protestantes non habent consensionem inter se in suis fidei Confessionibus.

90. Ob. idem argumentum 2.do Protestantes non habent certum et constans fidei suæ motivum. Ergo nec consensionem in doctrinâ habere possunt. Consequentia patet

Ob. ant. Pro fidei suæ motivô statuunt vel Verbum Dei seu S. Scripturam, vel Spiritum privatum. Sed nec Verbum Dei, nec Spiritus privatus potest esse certum et constans fidei suæ motivum. Ergo ꝓ.

Maj. est ipsorum. Min. pb. Ipsis constare non potest de librorum in quibus Verbum Dei seu fidei veritates continentur, fidelî versione, et legitimô sensu. Neque etiam quidquam certum haberi potest per Spiritum privatum, utpote qui in ipsis varius est, et varias atque oppositas sententias suggerit, prout ipsimet volentes nolentes, experientiâ et factorum veritate ipsos convincente, fateri coguntur. Ergo ꝓ.

91. Ob. eadem secunda Conclusionis pars quoad secundum membrum, nempe quòd Protestantes non habeant Regimen simile. ~~et Papæ vel Episcopum~~

Aliud est regimen apud Lutheranos, aliud apud Calvinistas. Inter Lutheranos etiam non est idem, ut videre est in Angliâ ubi diversæ prorsus sunt Ecclesiarum administrationes. Calvinistæ autem nullam ha-

bent hierarchiam, seu regimen Spirituale et Ecclesiasticum, quippe apud quos multi sunt Episcopi, multi Presbyteri, p. Ergo. 65

3tio Denique Non habent Caput visibile Romanum Episcopum. Nulli enim ex ipsis agnoscunt Episcopum Romanum tanquam centrum unitatis, cum quo servent communionem tantopere necessariam in Corpore Christi, quod est Ecclesia. 92.

Ergo cum tribus hisce conditionibus, quæ, ut ostendimus, potissimum requiruntur ad Ecclesiæ Unitatem, quæ est nota et caracter veræ Ecclesiæ, destituatur Ecclesia Protestantium, manifestè concluditur, eam etiam hac notâ carere, adeoque non esse veram Ecclesiam. 33

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1.o contra 1.mam Conclusionem Explicari non potest, in quo posita sit illa unitas Ecclesiæ universalis; nec facilè intelligitur, quomodò huic unitati non adversetur tanta hominum ex quibus constat, multitudo, tantâque temporum diversitate et locorum distantiâ ab invicem separatorum. Ergo conclusio 1.a non subsistit. 93.

Resp. neg. ant. In quibus consistat Ecclesiæ unitas Conclusione secundâ explicavimus. Nec ejusdem unitati obesse potest hominum multitudo, temporumque, et locorum diversitas; modò sit eadem fides, idem regimen, idem caput, quod hanc hominum à se invicem disitorum multitudinem in eâdem fidei doctrinâ et communione contineat; prout hactenus in Ecclesiâ Catholicâ semper factum est, quæ causa est et conditio ipsi plane singularis; dum è contra videmus Protestantium Ecclesiam, si vel ita nuncupari meretur, in se ipsa perpetuò divisam esse, et variis contrariisque etiam in fide sententiis et opinionibus disceptam esse.

66. Ob. 2do Nota debet esse propria et sensi-
94. bilis, atque ipsâ re, quam significat, notior.
Atqui hæc non conveniunt unitati. Ergo
neque ipsa dici potest nota Ecclesiæ Christi.

Resp. Neg. min. Nam 1o Unitas est pro-
pria Ecclesiæ Christi; cùm nulla secta constan-
tem habuerit doctrinam, constans regimen, et
idem Caput Romanum nempe Pontificem. 2o
Est sensibilis et notior Ecclesiâ; cùm hæresis
facilè cuivis attendenti occurrant, et quænam
sit vera Ecclesia satis manifestè indicent.

Ob. 3tio Unitas quidem doctrinæ et
95. Regiminis necessaria est, ut Ecclesia sit una,
imò et requiritur unitas capitis invisibilis,
scilicet Christi; sed dependentia ab Episcopô
Romanô, et cum ipso communio minimè
necessaria videtur. Ergò saltem respectu
hujus unitas non est nota Ecclesiæ Christi.

Resp. 1o id saltem ex hac propriâ
adversariorum confessione à nobis evinci,
ipsorum nempe Ecclesiam non habere eam
unitatem, quæ tanquam veræ Christi Eccle-
siæ nota requiritur; ut in quâ nec doctri-
na, nec regiminis unitas reperiatur.

Resp. 2do neg. postremam anteceden-
tis partem. Profectò, cùm Ecclesia sit cor-
pus visibile, et externum, requiritur etiam,
ut habeat aliquod Caput visibile, et externum,
cui adhæreant, et consocientur singulæ Ecclesiæ
membra. Caput illud autem est Summus seu
Romanus Pontifex, qui est centrum unitatis,
à quô secessionem facere non licet, ut probant
SS. Patres, quos supra Cap. 1. §. 1. laudavimus, ubi
de naturâ Ecclesiæ agebamus.

96. Ob. 4to Doctrina ~~contra~~ de Unitate
Ecclesiæ hîc exposita multa secum infert absur-
da et incommoda: 1o Damnat omnes, qui er-
rant vel in minimô fidei articulô, vel commu-
nionem non habent cum Episcopô Romanô;

quod certè durum et inhumanum est. 2°. Non dis-
tinguit inter ea, quæ Ecclesiæ sunt Essentialia
ut fides, Sacramenta, Ministri; et ea, quæ sunt
ipsi accidentalia, ut communio externa, et con-
venientia in articulis non fundamentalibus.
3°. Statuit Ecclesiam posse suis Judiciis facere
quosdam articulos, qui antè ejus sententiam non
erant. Ergò non est admittenda.

Resp. neg. ant. quoad singula. ad 1 num
Plurima sunt in Christianâ Religione, quæ
sunt verissima, licèt humanæ rationi duriora
videantur: ut reatus peccati originalis prop-
ter unum hominem; parvulorum absque Bap-
tismô morientium damnatio; pœna æterna
iis omnibus peccatis inflicta, de quibus mentio
fit in Epistolâ ad Galathas; æternitas ignis
in vindictam vel unius peccati mortalis; præ-
destinatio unius, et reprobatio alterius. P.
Hæc omnia tamen, quamvis duriora videantur,
negare aut improbare non licet; Deus quippe
summè justus est, atque judicia ejus cum tre-
more sunt adoranda. Similiter etsi fortè
durum videatur, damnari omnes Hæreticos,
et Schismaticos, qui videlicet communionem
non habent cum Pontifice Romanô; id tamen
non ideò minùs verum est, cùm tota passim
Traditio doceat, extrà Ecclesiam non esse pec-
catorum remissionem, non esse Charitatem,
non esse Salutem.

Ad Secundum. Hæc omnia Ecclesiæ sunt
essentialia. Communio externa est ei essentialis;
cùm enim sit Corpus visibile, debent etiam
ejus partes vinculô visibili et externô inter se
colligari et uniri, id autem haud fieri poterit,
nisi sit conjunctio membrorum inter se et
cum visibili capite suô. Convenientia et
consensio in articulis non fundamentalibus
est etiam ei essentialis: cùm enim debeat

68. esse una ~~fides~~ et eadem fides à Deo revelata, et ab Ecclesia tanquam infallibili Judice proposita, necesse est, omnes fideles in eadem fide consentire; adeoque eosdem planè esse apud omnes fidei articulos. Adde, quòd incognita sit toti antiquitati hac articulorum fundamentalium et non fundamentalium distinctio. Neque etiam inter Protestantes hactenus convenire potuit, quinam distinctè sint fundamentales: aliis aliter definientibus, aliis alios articulos assignantibus. Ecclesia autem Catholica semper sensit, eos errores, qui semel proscripti sunt, à nemine contra haeresim, et peccatum propugnari posse.

Ad tertium: Ecclesia fidei articulos non facit, sed qui sunt à Deo revelati, eos ponit ac definit ex Scripturâ et Traditione; eosque aliquando evolutè magis et explicitè pro temporum necessitate, aut Haereticorum insurgentium oppugnatione aperit, et explanat. Ipsius autem esse fideles suos instruere ac docere, vel inde probat, quòd per saecula non aliam SS: Patres ac fideles omnes habuerint Ecclesiae ideam, quàm Docentis, Definientis, ac Docentis. Hanc cetè habuit Concilium Nicenum, cùm ubi varias Arianorum fidei expressiones attulit, ait, Ecclesiam Catholicam et Apostolicam similiter sentientes condemnare.

97. Ob. 5.to Auctoritas S. Augustini qui Ep. 43. aliàs 162. ad Glorium, Eleusium, et alios, quos agnoscit à hac communione separatos docet, extra externam Ecclesiae Romanae communionem nonnullos salutem assequi posse. Ergò.

Resp. S. Augustinum ait. Ep. loqui de iis, qui ut ipsius verbis utamur, sententiam suam, quamvis falsam et perversam, nulâ pertinaci animositate defendunt, praesertim etiam, quam non audaciâ suae praesumptionis

peperunt, sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, ac cautâ solicitudine quærunt veritatem, corrigi parati, ùm invenerint. et hi nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. Quia si non actu, saltem desideriô et quidem sincerô pertinent ad externam Ecclesiæ communionem; atque, si nihil obsit, internum Ecclesiæ spiritum participant; atque apud nos Hæretici materiales duntaxat numerantur, quales sunt, infantes, multi rustici, fœminæ &c. Separationem verò ab externâ Ecclesiæ communione summè improbat et damnat in eadem Ep. c. 8. n. 24. idem S. Augustinus.

Ob. 6to Ecclesia successit Synagogæ ita, ut hæc in veteri Testamentô id hominibus præstiterit ad salutem, quod nunc ipsis in Novô præstat Ecclesia. Atqui non erat tanta Synagogæ necessitas, ut extrà eam nullus posset salvari: multi enim ex gentibus, penes quos fuit unius veri Dei cognitio, ut Melchisedech, Job, et alii, solâ legis naturalis observatione ad salutem pervenerunt. Ergo &c. 98.

Resp. 1o Dist. maj. Ecclesia successit Synagogæ tanquam perfectum imperfecto; et non quantùm ad omnia, sed quantum ad aliqua duntaxat. conc. maj. tanquam perfecto, neg. maj. &c. Sicut Ecclesia Synagogæ non successit, quantùm ad amplitudinem, qua toto terarum orbe diffunditur; quantùm ad perpetuitatem, qua usque ad consummationem sæculi perseveratura est; quantùm ad perfectionem cultûs divini et sanctitatis, atque alia ejusmodi, quibus Synagogam longè supergreditur, ita nec ipsi successit, quantùm ad necessitatem salutis.

Resp. 2do Neg. maj. Synagoga tantùm ad Judæos, et fuit veluti propria ipsorum Ecclesia, ita ut extra illam quidem multis Judæis potuerit esse salus; sed non fuit Ecclesia uni- } pertinebat

70. versalis, quæ sine hac omnes veros Dei cultores complecteretur; adeoque hinc potius confirmatur nostra sententia: Sicut enim Judæorum nemo salvari poterat separatus à veteri Synagoga, ita quoque nunc nemo salvus esse potest, si separetur ab Ecclesia.

99. Ob. 7mo contra 2dam Conclusionem. Ex ipsa Apostolorum Ecclesia varia orta sunt divisiones et secta contraria, ut Simonianorum, Nicolaitarum, Valentinianorum, Marcionitarum, Gnosticorum &c. Ergo non mirum esse debet, si ex Ecclesia Protestantium orta fuerint divisiones et secta contraria.

Resp. neg. ant. Secta illæ varia in Ecclesia quidem orta sunt, non verò ex Ecclesia at contra secta contraria apud Protestantes ex propriâ sanctitatis indole nascuntur. Dum de Ecclesia sectas in illâ ortas rejicit et damnat, illarumque autores et fautores a sua communione extores esse jubet nec eos tolerat. Secus autem Protestantes. Sic Calvinista tolerant Lutheranos, quamquam agnoscant v.g. Corpus Christi realiter et verè præsens esse in Eucharistiâ, quod negant Calvinista.

100. Ob. 8vo Tot sunt apud Catholicos Schismatum Conventicula, tot secta et divisiones, quot sunt Monasteria vel certè Monachorum ordines, qui licet olim ~~separatim~~ separatim ab aliis viverent, attamen separatim non recipiebant Sacramenta, sed in conventibus publicis cum reliqua plebe sacris intererant: nunc autem sibi privata altaria exerunt: atque ita separatim ab aliis vivunt, et Christianorum titulô haud contenti, alii vocantur Benedictini, alii Franciscani, alii Dominicani &c. Ergo apud ipsos non viget ida unitas quæ est nota ac caracter veræ Ecclesiæ.

Resp. neg. ant. Nam varia Monachorum 71
Societates non adversantur unitati regiminis Ecclesiastici; tùm quia ab Ecclesiâ sunt approbatæ, abeâ foventur, et sub ejus curâ et protectione singulari degunt; tùm quia non minùs quàm cæteri fidelium legitimis Ecclesiæ Pastoribus, nimirum Summo Pontifici, et etiam Episcopis subjiciuntur, proinde nullas sectas aut divisiones constituunt, quæ unitati regiminis Ecclesiæ sint contrariæ.

Altaria autem privata, quæ habent Monachi, sunt similia aliis publicis altaribus, nec in signum aliquod ~~abruptæ~~ separationis et ~~com~~ abruptæ communionis erecta; unde propterea Schismatici dici non possunt, nisi quoque Parochi et Episcopi omnes dici debeant Schismatici, ut qui diversa habeant altaria; imò Monachorum altaria æque sunt publica ac cætera, ut quorum sacris interfunt, quotquot capiunt, Catholici. Falsum quoque est, Monachos primævis temporibus non habuisse privata altaria. S. Epiphanius enim testatur*, se in Monasteriô S. Hieronymi Paulinianum ordinasse in Presbyterum, qui cæteris Monachis Sacramenta dispensaret. Cassianus etiam collat. 8. c. 15. ait, in ipsa eremô quondam è Monachis fuisse Presbyteros. Idem refert S. Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ c. 33. Idem sæpè referunt Auctores Ecclesiastici, ac præsertim ii, qui de rebus ascetiis scripserunt.

* Ep. ad Joan. Hierosol. 5

Variæ autem illæ Monachorum appellationes non denotant sectas ullas peculiares alienas et sejunctas à corpore Ecclesiæ, neque sunt nomina Doctrinæ aut fidei diversæ, sed sic vocantur ab Institutore severioris et austerioris disciplinæ, cujus professionem et institutum ad majorem perfectionis Evangelicæ gradum aspirantes, ampleni sunt.

Ob. 9.nb Non est apud nos Doctrinæ consensio, imò mira est nostrorum Theologorum 101.

6. 31

 Sentiendi varietas: alia enim est doctrina Scotistarum, alia Thomistarum, alia Augustinianorum, alia Carmelitarum &c. nec ullus est, qui se non existimet pro veritate pugnare, et oppositam sententiam esse eroneam. Ergo perperam Protestantibus suas divisiones opponimus, ac doctrinæ consensionem velut certam unitatis Ecclesiæ notam laudamus.

Resp. dist. ant. Non est apud nos doctrinæ consensio sed mira sentiendi varietas in opinionibus Scholarum libertati ab Ecclesiâ permissis, conced. in fidei dogmatibus neg. ant. Distingui hic debet dogma fidei ab Ecclesiâ definitum, ab opinione libera Scholæ. Circa dogma fidei nulla est inter nostros sententiæ varietas: dogmata verò hæc æstimari non debent ex privatis doctorum placitis, sed ex publicis Symbolis, fidei professionibus, Romanorum Pontificum, et Conciliorum generalium decretis: quicunque autem ab hujusmodi dogmatibus discedit, pro Hæretico habetur. Non ita est de aliis Scholæ opinionibus, quas varias in partes agitari permittit Ecclesia ad elucidationem veritatis, ingeniorum et Scholæ exercitium: In quibus, ut ait S. Augustinus*, salvâ fide, quâ Christiani sumus, aut ignoratur, quid verum sit... aut aliter quàm est, humanâ et infirmâ suspicione conjicitur. In quibus proinde et refellere quisque sine pertinaciâ, et sine iracundia refelli paratus esse debet. At Protestantes, qui hæc nobis objiciunt, de rebus etiam ad fidem pertinentibus inter se dissentiunt, et alii alios habent pro Hæreticis, sicut videre est apud Cardinalem Hozium lib. 1. contra Brentium, et apud Canisium in præfat. librorum Andrææ de Vega Coloniæ excusorum. Hinc Anabaptistæ pro Hæreticis habentur à Lutheranis et Zwingliis

* lib. 2. de pec. orig. c. 23.

glianis, et vicissim; tametsi omnes eundem agnos- 73.
cant parentem Lutherum. Similiter Zwingli-
ani aliique Sacramentarii à Lutheranis laben-
tur ut Hæretici, hinc patet ex Testamentô
Brentii, imò et ex ipso Lutherô passim in suis
libris: his tamen non obstantibus, Calvinista
Galli Lutheranos ad suam Communionem ad-
miserunt, adeò mentitur iniquitas sibi.

Ob. 10mo De Capite visibili Ecclesiæ 102.
Romanô Pontifice ejusque auctoritate tam
varia et apposita in Scholis nostris disputan-
tur, ut nihil certi circa ipsum statui possit.
Alii enim ejus auctoritatem in immensum
extollunt, quam esse absolutam, non tantùm
in res Spirituales, sed etiam in temporales
contendunt: alii eandem auctoritatem ad
res duntaxat Spirituales limitant, alii eam
Concilio generali subjiciunt, alii eam idi
superiorem tuentur ꝛc. Ergò unitas Ec-
clesiæ, quæ ab isto illius Capite sic repeti-
tur, non ita firma est, ac asserimus.

Resp. Dist. ant. Et ~~quæ~~ hæc, quæ in
Scholis circa auctoritatem Romani Pontificis
disputantur, sunt de fide neg. non sunt de
fide conc. ant. Circa summum seu Ro-
manum Episcopum hoc unum duntaxat de
fide est, de quo consentiunt omnes Ortho-
xi; nempe idum esse Caput visibile Ecclesiæ,
ac primatum honoris et jurisdictionis in cæ-
teros Episcopos obtinere: cætera omnia, quæ
hinc inde disputantur, salvâ semper, quæ
ipsi debetur, reverentiâ et obedientiâ, ad
opinionem Scholæ, non ad fidei dogma per-
tinent.

Ob. 11mo Nonnulli veteres Ecclesiæ 103.
Patres varios docuêre et tuiti sunt etiam
in fide errores, ut Milenarii, Rebapti-

7.37

74 Cantes, p. Ergo non semper fuit in Ecclesia eadem doctrinæ consensio.

Resp. com. ant. neg. cons. frustra id nobis opponitur; neque enim docemus, singulos Patres errare non posse. fatemur eorum aliquos in errorem lapsos esse, antequam veritas ab Ecclesiâ fuisset apertè definita; fatemur in Disciplinæ quæstionibus, veluti de die celebrandi Paschatis, de jejuniô Sabbati p. discordes illos fuisse. At contendimus, fieri non posse, ut omnes simul conspirent in defensionem erroris; quia fieri non potest, ut pereat vera doctrina in Ecclesiâ Christi, quæ est columna et firmamentum veritatis, adversùs quam portæ inferi nunquam prævalebunt p.

104. Ob. 12mo aliquæ rationes Theologicæ. 1a Si Ecclesia esset una, tum maximè propter Charitatem: Ergo, si hoc ita est, sequitur, eos, qui non sunt in Charitate Ecclesiæ unitos non esse. 2a Duæ habent eandem qualitates, sunt quidem similia sed non unum. Ergo licet in omnibus Ecclesiis particularibus sint eadem fides, sacramenta, leges, non sequitur eandem esse Ecclesiam, sed ad summum esse similes Ecclesias. 3tia Licèt diversa regna habeant eundem Principem, eandem Leges generales, non sequitur, esse unum regnum. Ergo p. 4ta Unitas seu concordia, et ordinata dispositio non conveniunt soli Ecclesiæ Christi, sed etiam multis aliis Societatibus. Ergo p. 5ta Denique. Si in solâ Romanâ ~~Ecclesiâ~~ communione vera Ecclesia constituitur per exclusionem aliarum Societatum, vix defendi potest ejus Catholicitas seu ~~ui~~ universalitas; Roma-

na quippe communio intra angustos limites plane coartatur. Ergò p.

Resp. ad 1 nam Unitatem seu unionem charitatis maximè optandam esse inter omnia et singula Ecclesiæ membra; hæc tamen in aliquibus (: non in omnibus, quod fieri non potest :) deficiente, supersunt aliæ rationes unionis, nempe in fide, in regimine, in Sacramentis, in subjectione legitimis Pastoribus, quæ sufficiunt ad veram Ecclesiæ unitatem. unde Dist. ant. Si Ecclesia esset una, tum maximè propter charitatem solam neg. ant. non solam, et ita, ut ipsâ etiamnum deficiente in aliquibus, ii tamen ex aliis rationibus Ecclesiæ corpori conjuncti maneant conc. ant. et neg. cons.

Ad 2 dam Dist. ant. Quæ habent easdem qualitates, sunt similia, sed non unum, si non habeant eundem finem, nec ad eum tendant, ut partes ejusdem totius, conc. ant. Secus. neg. ant. Ecclesiæ particulares eundem habent finem, eadem media, eandem primo Pastori subjectionem; atque sunt omnia membra simul sumptæ, licet inter se diversa unum corpus constituunt, sic particulares Ecclesiæ simul sumptæ unam universalem constituunt Ecclesiam.

Ad 3 tiam neg. cons. Plura regna uni Principi subjecta etsi simul sumantur, non tamen possunt dici constituere unum totum tanquam partes, atque sic unum regnum efficere. at contrà Ecclesiæ particulares ex ordinatione quidem Christi, uni Capiti subjiciuntur; uno spiritu foventur, et animantur; operantur tanquam partes totius corporis mystici, scilicet Ecclesiæ. Ipse enim dedit Caput, Episcopos, Pastores, Presbyteros, Diaconos, regulam fidei, fidem ipsam, et Sacramen-

76. ta, quibus inter se conjunguntur fideles, adeoque unum corpus per se efficiunt ac constituunt.

Ad 4 tam Dist. ant. Unitas seu concordia p non convenit soli Ecclesiæ Christi, unitas quæ fundatur in consensu fidei ejusdem, eorumdem Sacramentorum participatione, et subjectione legitimis Pastoribus imprimis verò Romano Pontifici neg. Unitas cuilibet Societati et Sectæ communis non convenit soli Ecclesiæ Christi. conc. ant. et neg. cons. Convenit quidem unitas aliqua cuilibet Sectæ et Societati; sed unli competit ea, quæ Ecclesiæ Christi singularis est et propria.

Ad 5 tam: patebit ~~paulo post~~ ex dicendis paulo post, Romanam Ecclesiam verè catholicam esse, nec tam angustis finibus contineri, ac fingunt adversarii.

§. Secundus.

105 De Sanctitate Ecclesiæ.

Ecclesiam Christi in se sanctam esse consentiunt omnes: Pro ea enim se ipsum tradidit Christus, ut illam sanctificaret ait Apostolus.* Cùm ergo Protestantes Ecclesiam Christi se habere jactent æquè ac Catholici, dispiciendum hic nobis est, cuinam idorum Societati hæc sanctitatis proprietas conveniat, an Protestantium, an verò Catholicorum Ecclesiæ. Pro quo sit

Conclusio.

~~106.~~ Ecclesia Catholicorum est sancta, eâ sanctitate, quæ verò Christi Ecclesiæ propria est et singularis, non verò Ecclesia seu Societas Protestantium.

Pb. Conclusio. Sanctitas, quæ verò Christi Ecclesiæ propria est ac singularis posita est præsertim in tribus: scilicet, in sanctitate doctrinæ et professionis; in sanctitate eorum,

* Ephes. c. 5. v. 26.

qui primùm eam fundârunt; in gloriâ miraculo- 77
rum, quibus Ecclesiæ suæ veritatem et Sanctitatem confirmavit Dominus. Atqui Societas Catholicorum tripliceem illam habet Sanctitatem, non verò Societas Protestantium. Ergo p.

Pb: Min. quoad primam partem. 1.° Quia Ecclesia Catholicorum nihil docet, quod non sit Sanctissimum; de fide nihil proponit credendum, nisi vel Scriptum sit in Sanctis Libris, vel constanti ac perpetuâ Traditione ad nos transmissum, ac Conciliis definitum. Unicum Deum in Spiritu et veritate colit: verum agnovit Mediatorem Dei et hominum Christum Jesum; et si quas in cultu Dei usurpat ceremonias, non alio fine id agit, quàm ut mentem hominum ad cœlestia erigat. Non aliam habet moralem doctrinam, quàm quæ à Christô Apostolis et SS: Patribus tradita est.

Præterea ida doctrina est sancta, quæ ejus est virtutis et efficacia, ut ipsa Sanctitatem et Sapientiam aliis inspiret, ac convertat animas. Atqui talis est doctrina, quam profitetur Societas Catholicorum. Norunt enim omnes, quos progressus fecerit in universo orbe Natum atque annuntiata est; et quidem nulis suffulta præsidiis hominum, per Apostolos externa specie contemptibiles, sine vi, sine ullâ arte, aut verborum pompâ; quamquam ea doceret, quæ natura dura planè sunt, et adversa; ac longô usu in vitiô obfirmatos reperisset hominum animos. Ergo necesse est, divinam potius esse Sanctitatem doctrinæ, quæ tantam vim habuit, et efficaciam.

Meritô igitur S. Augustinus ait*: Nihil sin Christianis Ecclesiis, turpe aut flagitiosum spectandum, imitandumque proponitur, ubi veri Dei præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut beneficia postulantur.

* lib. 2. de civit. c. 28.

Hanc verò Sanctitatem non habet Socie- 106.

tas Protestantium; hæc enim longè abesse vult
ea, quæ dura et onerosa sunt; ut jejunia, car-
nis macerationes, auricularis confessio p. et
cujus doctrina innovat antiquos veterum errores,
ut inutilitatem bonorum operum cum Simonia-
nis, Valentinianis, et Eunomianis*. Ita
Protestantium Synodus Wormatiensis an. 1557.
Confessio Gallica art. 20. et Helvetica art. 16.
In filiis fidelium non dari peccatum origi-
nale, hosque sine Baptismô è vitâ decedentes q. Nullum quoque dari peccatum veniale,
sed omne peccatum suâ naturâ esse mortale.
Ita Zwinglius lib. de Baptism. Bucerus in c. 3.
Matth. Calvinus lib. 15. Instit. c. 16. et seq. Cal-
vinista in ~~Catha~~ catechismô Dom. 50. et in for-
mâ Baptismi n. 11. Qui fuerunt errores Pe-
lagianorum*.

Cum Novatianis, nulla esse sacramen-
ta Pœnitentiæ et Confirmationis. Ita Cal-
vinus lib. 4. Instit. c. 19. n. 5. et 17. Confessio Au-
gustana Art. 12. Docebant enim Nova-
tiani, non esse in Ecclesia potestatem homi-
nes Deo reconciliandi, nisi per Baptismum;
neque debere rebaptizatos Chrismate inungi
ab Episcopo. Apud Theodoretum lib. 3. Hæretic.
fabul. c. 5. et Cornelium Papam in Eusebio
lib. 6. Hist. c. 43.

Cum Donatistis* Ecclesiam Christi ex
solis sanctis constare, et proinde esse invisibi-
lem. Ita passim Protestantes post suos ante-
signanos.

Cum Aërianis* nec pro mortuis oran-
dum, nec pro iis oblationes offerendas; nec ta-
tuta jejunia celebranda esse, et Presbyterum
ab Episcopô multâ differentiâ discerni debere.
Ita Calvinus lib. 3. Instit. c. 5. n. 6. et 7. Item lib.
4. c. 12. n. 20. Magdeburgenses Cent. 4. qui
asserere non verentur doctrinam his tribus Aë-
rianorum erroribus oppositam potiùs erroneam

y *Apud Iren. adv. hæres. lib. 1. c. 23. alias 20. Theodoret. lib. 1. hær. fab. c. 1. Aug. lib. de hæres. c. 55.

q Salvari

z *Apud S. Aug. lib. 6. cont. Julian. c. 2. et 3. et lib. 4. ad Bonifac. c. 2. et 4. lib. de hæres. c. 88. et lib. 1. de anima p. c. 9. Concilent. apud eundem Ep. 176. alias 92. Conc. Chartagin. Hieron. lib. 2. cont. Pelagian.

a *Apud S. Aug. lib. de unit. Eccles. c. 12.

b *apud Epiph. hær. 75. Aug. hæres. 33.

esse; parum sua interesse arbitrantium, eos 79
à veteri Ecclesiâ velut haereses fuisse proscriptos.

2.do Probatur, et patet Doctrinam Pro- 107.
testantium non esse Sanctam, quia adversatur Sanctae morum disciplinae, quae vigebat etiam purissimis, et Sanctissimis Ecclesiae temporibus Sanctorum nempe Basilii; Gregorii Nazianzeni; Gregorii Nysseni; Ephrem; Theodoreti; Cyrilli Hierosolymitani; Concilii Chalcedonensis, cui interfuêre Patres sexcenti; Ambrosii; Hieronymi; ad. Dum Sanctorum invocationem, tanquam idololatriam, remque veraeque fidei, et pietati contrariam; Ministrorum verò Ecclesiae celibatum tanquam quid iniquum, et Verbo Dei contrarium inverecundè tradunt, ut et alia similia Sanctae morum disciplinae capita, quamvis à memoratis Veteris Ecclesiae Patribus tanquam Sancta et verè pia ultrò agnita et laudata, neunon à Conciliis stabilita, et sancita fuerint.

3.tio Pp. Doctrinam Protestantium non 108.
esse Sanctam. Illa doctrina non est Sancta, cujus principia non ducunt ad Sanctitatem. Atqui moralis doctrina Protestantium principia non ducunt ad Sanctitatem. Ergo ad.

Pp. min. Quia viam omnibus vitiis aperiunt, virtutibus autem praeludunt. Nam 1.o In sententia Protestantium, sola incredulitas potest damnare: quibuscunque tandem cupiditatibus aliquis serviat; adulterii, homicidii, aut cujusvis alterius criminis reus sit, modò credat se electum esse à Deo, gratiam unquam amittere potest, quia etsi timorem Dei amittat, fidem tamen justificantem non amittit. Ita passim docent, Lutherus lib. de captiv. Babyl. c. de Baptismo. Calvinus lib. 3. Instit. c. 13. Beza in confessione c. 4. art. 20.

2.do Juxta principia Protestantium, nulla leges humanae, seu

 Principum Spiritualium, seu temporalium, conscientiam fidelium ligant. Ita Lutherus lib. de Captiv. Babyl. Calvinus lib. 3. Instit. c. 19. n. 14. ubi, omnium hominum potestate, inquit, exemptas esse conscientias constituimus. Danaeus in Antibedarminô lib. de Baptismô. Vittakerus lib. adversus Campianum. Atqui hujusmodi doctrinae moralis principia sunt impia, et seditiosa, unde ea semper detestata est Ecclesia Catholica. Quid enim magis impium cogitari potest, atque magis omnibus vitiis patentem viam aperit, virtutibus autem praeludit, quàm ubi scelestissimi quique salutis suae suori redduntur? Et quid tranquillitatem publicam certiùs turbare et evertere potest, quàm doctrina, quae contemnit Leges Ecclesiae, Principum, Magistratuum, et earum observatione conscientiam fidelium non adigari docet? Ergo p.

2 40

Pb. Min. quoad secundam partem. Ecclesiam scilicet Catholicorum habere sanctitatem in primis sui instituti fundatoribus.

Habet enim eam in Christo, qui est primus ejus auctor, fons et origo totius sanctitatis et justitiae. Habet in Apostolis et SS. Patribus, qui contra singulas suorum saeculorum haereses dimicaverunt. Habet in Martyribus, qui firmô, ac constanti animô pro Christo ceciderunt. Habet in tot Episcopis et Pastoribus, in tot Religiosorum Ordinum Institutoribus eximiae virtutis ac pietatis: Nihil verò tale apud se esse probare possunt Protestantes nostri. Ergo p.

Hanc, inquam, primorum suorum Institutorum sanctitatem evincere nequaquam possunt. Neque audebunt dicere praetensa sua Reformatae Religionis auctores, Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Bezam p. sanctos fuisse. Nec opus arbitramur, ut tam notam eorum Pseudo=Prophetarum turpitudinem hic

revelemus, hujusmodi argumenti Domino Weis- 81.
linger Steemo ac famoso Eulesia nostra vin-
dici relinquentes tractationem.

Cb. eadem min. quoad tertiam partem; 109.
Catholicam videlicet Ecclesiam habere Sanctitatem doctrinæ miraculis à Deô confirmatam. Habuit 1mo sæculo miracula Christi, et Apostolorum in sacris libris memorata. Secundô sæculô miracula militum Christianorum in exercitu Marci Antonii Imperatoris, quæ referuntur à Tertulliano lib. ad Scapulam c. 4. et Apologetici c. 5. ab Eusebiô lib. 5. Hist. c. 5. Tertiô sæculô, miracula S. Gregorii Thaumaturgi, apud S. Basilium lib. de Spiritu S. c. 29. apud S. Gregorium Nyssenum in vita ejus. apud S. Hieronymum lib. de viris Illust. Quartô sæculô, miracula Antonii, Hilarii, Martini, Nicolai, apud S. Athanasium, Hieronymum, Sulpitium. Quintô sæculô, miracula quæ describuntur à S. Augustinô lib. 22. de Civ. c. 8. et quæ suô tempore Carthagine, et Mediolani contigisse narrat. Sextô sæculô, miracula, quæ narrantur à S. Gregoriô Magnô in suis Dialogis; et multa alia, prout Annales Ecclesiasticos percurrenti facilè constare potest; quæ omnia à tot et adeò sanctis viris tam frequenter patrata fuêre in testimonium ejusdem doctrinæ et fidei, quam nunquoque nos profitemur, quæque proinde eam sanctam probant. ubi enim vera miracula, ibi et sancta ac vera fidei doctrina. Deus enim præcipuus, imò unicus miraculorum auctor, mendacii et erroris testis et Assertor esse non potest. atqui mendacii testis et auctor esset, si fides nostra et doctrina sancta et vera non esset, ut qui permitteret in ejus testimonium et firmamentum miracula fieri.

82. Protestantes lanè nulla miracula in medium offere possunt, quibus doctrinam suam confirment; cumque nulla apud se inveniant nostra Dæmonum prestigiis deputant, aut falsi postulant, non aliâ quidem ratione, quàm quod pugnent cum noris ipsorum placitis.

Solvuntur Objectiones.

110. Ob: Doctrina Catholicorum corrupta est in doctrinâ ob infinitos errores et superstitiones, quibus verus Dei cultus corrumpitur; et in moribus, ut patet ex reformatione quæ subinde adhibita fuit, tam in capite, quàm in membris. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Si quidam errores et superstitiones interdum in Ecclesiâ irrepserunt; atque etiam subinde adhibenda fuit morum reformatio, id fecere privatorum quorundam errores ac vitia, quæ ipsi Ecclesiæ immeritò imputantur; ut quæ, teste S. Augustinò, errorem nec fauit, nec jubet, nec patitur. Ut objectio quidquam probaret, proferri deberet aliquod Ecclesiæ judicium vel Canon, quo vel error, vel morum corruptela aliqua approbata fuerit.

Solemne fuit omnis ætatis Hæreticis Catholicam Ecclesiam, à qua ejiciebantur, calumniis proscindere. Manichæi eidem objiciebant hypocrisim, superstitionem, sepulchorum adorationem, et luxuriam*. Luciferiani, cam diaboli et Antichristi Ecclesiam munupabant*. Donatistæ eam pestilentiæ cathedram munupabant*. Caveant proin Protestantes, ne dum Catholicorum Ecclesiam calumniis onerant, antiquis his adnumerentur Hæreticis.

c * apud Aug. lib. de mor. Eccl. c. 34. d * apud Hieron. Dial. adv. Luciferian. e * apud Aug. lib. 2. cont. Litt. Petiliani c. 51.

41

A 3 41

Ob. 2.do Efficacia doctrinæ certum non est ejus sanctitatis argumentum: tùm quia Infidelium et Hæreticorum doctrina magnos etiam fecit progressus, ut patet exemplis Mahumetanorum, Lutheranorum, et Calvinistarum: tùm quia si quos suâ doctrinâ converterunt Catholici, id non fecit doctrinæ simplicitas ~~[illegible]~~, sed, dolus, promissa, minæ. Ergo p. 83. III.

Resp. neg. ant. Ad exemplum Mahumetis, non est, quòd miremur ejus sectæ progressus, nam præterquam quòd hominum libidini plurimum faveat, armorum vi, non persuasione doctrinæ tàm longè latéque diffusa est. Imò Mahumetes ipse Alcorani c. 18. et 19. bellô et armis coyendos esse homines ad suas partes et doctrinam amplectendam affirmat. Nihil quoque mirum videri debet, quòd Lutheri, et Calvini hæresis tot regiones occuparerit: quid enim non potest Novitas, ubi sub specie severioris et sanctioris morum disciplinæ ea rescindunt-tur, quæ in Catholicorum Religione magis ardua sunt, et onerosa, ut v.g. Confessio Sacramentalis, Jejunium, Cælibatus in Ministris Ecclesiæ p. at quòd ea Religio, quæ nonnisi dura docet, quæ totâ naturæ inclinationi contradiit tàm stupendos fecerit progressus, id profectò soli ejus doctrinæ sanctitati, et auctoris ipsius efficaciæ adscribendum est. Quas verò strages, quas tempestates ac rebeliones in Galliâ, Germaniâ, Angliâ excitaverit pretensa Novatorum reformatio, nemo ignorat. Quod ajunt de dolô, promissis, ac minis à nostris usurpatis, ut faciliùs ad Christum homines converterent, putida fabula est.

84. Ob. 3tio Miracula non sunt firmum
112. argumentum sanctitatis alicujus Doctrinæ,
quia fieri possunt à Magis et Arioli, Exod. 7.
et 8. Ab Anti-Christo, et Pseudo-Prophetis,
Matth. 24. Ab Ethnicis, ut à Vespasianô factum, qui cæco lumen reddidit, claudo gressum,
Suetonius in vita n. 7. Ab Hæreticis, ut
de Paulô Novatianô ~~refert~~ Episcopô refert
Socrates lib. 7. Hist. c. 17. Ergo sp.

Resp. Neg. Ant. Ad exemplo dicimus,
et quidem ad 1mum falsa fuisse miracula
quæ ediderunt Magi et Arioli; Exod. 7. et 8.
nec non artificia Dæmonum, et fascinatio-
nes sp. habeturque tum ex eo, quod Draco,
in quem virgam suam convertit Moyses, illo-
rum Draconas devoraverit; tum quia plagas
populo infere potuerunt, non verò eum ab
ibis liberare; aquam potuerunt vertere in
sanguinem, at non sanguinem in aquam;
nec ranas à se priùs confectas ab Ægypto remo-
vere; tùm quia Scinipes non potuerunt
producere; Deo scilicet, ut observat Theo-
doretus, Magorum imbecillitatem, astutiam,
quâ utebantur, procul abesse à virtute di-
vinâ, tunc manifestante; adeò ut con-
fessi fuerint, in illâ plagâ esse digitum
Dei, hoc est, singularem potentiæ Dei ope-
rationem.

113. Porrò dantur Nota quædam et Signa,
quibus vera miracula dignosci possunt à fal-
sis. 1o Diuturnitas et perseverantia effectus,
quæ est maximum veritatis indicium; quæ
enim fictè fiunt, brevi evanescunt. Hinc
Pharaonis Magi post aliqua opera, quæ pro-
digiosa videbantur, deprehensi sunt deficere,
atque hoc publicè confessi sunt, Exod. 8. v. 19.
Similiter falsitas miraculorum Simonis statim
manifesta fuit, cùm ad Petri orationem Dei-
dit mortuus. 2o Attendendi sunt effectus,

quibus miraculorum veritas declaratur, quales 85
maximè solent esse actiones vitæ, ut mandu-
care, loqui in Lazaro resuscitato, videre in
cæco à nativitate, et ita de aliis. 3º Cir-
cumstantia, quibus fiunt illa miracula: Si v.g.
per orationem ad Deum; si finis talium ope-
rum non sit aliquid temporale et parvum;
si adjunctum habeant aliquod opus Dei pro-
prium, ut secretarum cogitationum mani-
festationem.

Ad 2dum Resp. miracula Pseudo- 114.
prophetarum et Antichristi mendacia erunt
non vera miracula, ut dicit Apostolus 2. Thess.
2. id est non vera et solida, sed falsa et ad
summum apparentia, vel mirabilia homini-
bus, qualia arte Dæmonis fieri possunt, et
quæ naturam non superant, ut excitare tem-
pestates, ignem de cœlo deducere, quos-
dam languidos subitò sanare; non tamen
absolutè miracula. At miracula sancto-
rum sunt illuminationes cæcorum, cura-
tiones claudorum, suscitationes mortuo-
rum, quæ à solo Deo fieri possunt.

Ad 3tium Resp. non vera fuisse 115.
miracula Vespasiani, quia nec verè cæcus,
nec verè claudus fuerunt illi, qui ab eo sana-
ti dicuntur, ut observat Cornelius Tacitus
lib. 4. hist. n. 81. Adde cum Tertulliano
Apologetici c. 22. totum illum morbum
fuisse à Diabolo, qui illorum binorum
hominum membrorum usum impediebat,
ut videretur deindè sanare, cum desine-
ret nocere.

Ad 4tum De Novatiani Episcopi illi- 116.
us miraculo Resp. id ad factum esse, non in
confirmationem fidei Novatiani hujus Epis-
copi, sed Catholici Baptismi. Cum enim,

86 prout narrat Socrates cit. loc. Judæus quidam importor, qui Baptismum ab Atticô Episcopô Constantinopolitanô ritu Catholicô jam susceperat, ad hunc Novatianum Episcopum accessisset, ut demùm ab eô baptizaretur, alveus Baptismatis divinitùs exhaustus est, quô miraculô illius iterationem illicitam esse Deus testari voluit.

107. Ob. 4.to S. Augustinus Tract. 13. in Joan. ait, non esse credendum Donatistis, etiamsi miracula faciant. Et lib. de unit. Eccles. c. 16. docet, Ecclesiam non demonstrari ex miraculis, sed Scripturis, additque, nec fidem adhibendam esse miraculis Catholicorum. Ergo &c.

Resp. Miracula Donatistarum non fuisse vera miracula, quæ citatô locô S. Augustinus contemnit, sed occultas visiones quasdam duntaxat, quas sine ullô testo jactabant se habuisse. Deinde, ut ex ipsius verbis patet, nihil aliud vult, quàm quòd non credendum sit miraculis, etiamsi fierent ab iis, qui sunt extrà unitatem Ecclesiæ. Quòd autem hic S. Doctor vera miracula non contempserit, patet vel ex solô librô 22. de Civit. Dei c. 8. ubi adversùs Paganos plurima opponit miracula facta ad Reliquias Sanctorum, et præcipuè S. Stephani. Et c. 9. probat, universa miracula, quæ per Martyres Christi nomine fiunt, ei fidei testimonium ferre, quâm Christum Martyres crediderunt.

118. Ad 2dum vult tantùm eô locô S. Augustinus, miracula non esse Sacris Scripturis proponenda. Sed quia hic ipsi res cum Donatistis erat, qui miracula apud hos patrata jactabant, ex quibus veram

esse suam Ecclesiam dicebant, longum minis ipsi 87.
visum est, eorundem falsitatem demonstrare, unde ad Scripturas, quas et ipsi Donatistæ admittebant, ut brevius disputationem expediret provocavit, ex quibus multò apertiùs de verâ Ecclesiâ judicari posset.

Et etiam ex miraculis demonstrari veram Ecclesiam Christi, alibi docuit idem S. Doctor*, ubi dicit, ita esse vinula, quæ illum in Ecclesiâ Catholicâ tenent. Disputans quoque adversùs Manichæos, qui miracula admittentes Scripturas rejiciebant, docet*, Ecclesiam demonstrari ex miraculis, non verò ex Scripturis. Ergo Sanctus hic Doctor, pro ratione personarum, quibuscum res ipsi intercedebat, modò Ecclesiam ex Scripturis, modò autem ex miraculis demonstrat, ex quo nihil absurdum sequitur, cum prestet cuique sententiam suam tuenti, se genio adversariorum suorum accommodare, ut sic tutiùs vincat.

* lib. de utilit. credendi c. 17. Et lib. cont. Ep. fundamenti c. 4.

* lib. cont. Epist. fund. c. 4. et 5.

Ob. 5to Miracula, quæ à nostris auctoribus referuntur, vel sunt ficta, vel imaginaria, idest, non ita contigêre, prout narrant historiæ, vel sunt Dæmonum præstigia, vel hominum illusiones. Ergo non possunt esse nota Sanctitatis Ecclesiæ nostræ. 119.

Ob. ant. 1o quia eorum est minium prodigiosa multitudo; e. g. à S. Francisco, Dominico, Bernardo, et aliis perpetrata leguntur propè innumera, ita ut nusquam Apostoli ipsi tot ac tam stupenda patrârint, cùm confirmatâ jam religione Christianâ ad nihil esse videantur: unde testatur S. Chrysostomus hom. 49. in Matth. jam suâ ætate sublatam fuisse miraculorum operationem. 2do Quia pleraque eorum tantam stoliditatem et ineptiam præferunt, ut Majestate divinâ omninò

88. indigna videantur. 3tio Quia vera miracula confirmant Evangelium, prout testatur S. Marcus cap. ult. v. ult. at miracula Catholicorum illud evertunt, et idololatriam confirmant, nempe Reliquiarum et Imaginum cultum, Sanctorum invocationem, Missam, et alia ejusmodi.

Resp. Neg. Ant. Si enim pro libitu et absque ratione licitum est negare facta olim miracula, inquit S. Augustinus, peribit fides librorum, historiarum, atque Scriptorum, et nostra non solum, sed etiam quacunque alia Religio labefactabitur.

Jk * lib. 10. De civit. c. 18.

Stultum insuper potius Luthero, Calvino, Magdeburgensibus aliisque Sycophantis circa antiquas historias fidem ad libere, quàm Cypriano, Athanasio, Augustino, Hieronymo, Gregorio Magno, et aliis veteribus Sanctis Patribus, qui ut plurimùm referunt res à se visas, aut saltem suis temporibus cognitas.

Quod autem dicant adversarii, nostra miracula esse Dæmonum præstigia, id aquè ac prius falsum est. Idipsum olim Christo objecerunt Judæi, Apostolis et Martyribus Gentiles. Idetiam Ariani, Eunomiani, et alii veteres hæretici vulgò de SS. nostris miraculis effutiebant. Novatoribus autem frons periisse videtur, cum Sanctos Patres viros tanta pietatis ac sanctitatis mendacii, fraudis ac doli in re tanti momenti, ut potè à qua doctrina Christiana veritas potissimùm pendere videtur, arguant.

6

120. Ad 3mam antecedentis probationem dicimus, eâ nihil probari; neque enim omnia ea miracula, quæ vulgus circumfert, admittimus, sed solùm ea, quæ

post serium et diligens examen agnovit et 89.
probat Ecclesia; unde monet Concilium
Tridentinum Sess. 25. Nova miracula
sine gravissimô consiliô, ac diligenti exa-
mine ab Episcopis non esse admittenda; si-
cut autem non omnia sunt leviter admit-
tenda, ita nec omnia temerè rejicienda.

Quod ex Chrysostomo additur, apocry-
phum est: omnium enim eruditorum judi-
ciô ipsius opus non est idem unde petitur
objectio, sed alicujus hæretici.

Ad 2dam Resp. Si qua vulgus spar- 121
gat miracula, quæ inepta et stolida viden-
tur, imò Dei majestate indigna, hæc mini-
mè probat Ecclesia, ut jam diximus. Sequen-
dum hû Concilii Tridentini mox adduti
consilium et voluntas.

Ad 3tium Miracula nostra, prout 122.
innumera testantur historiæ, nedum ho-
mines in verâ fide confirmant, ~~sed~~ et ad
pietatem adducunt, sed et hæreticos ad
nostras partes, veramque religionem
trahunt; evertunt quidem Evangelium
sed Lutheri, Calvini ꝛc, non autem Christi.
Nec cultus reliquiarum, imaginum, et
Sanctorum ritu Catholicô adhibitus idolo-
latriam redolet, ut ostendemus in Tractatu
de Incarnatione. Sed cum Novatores
apud se nulla habeant miracula, nostra
calumniantur.

Ob. 6to Si Protestantes nulla pro- 123.
ferant miracula ad probandam doctrina-
lis sanctitatem, inde fit, quòd mirac-
lis non indigeant, quandoquidem nonnisi
purum Dei verbum, ac puram Apostolo-
rum doctrinam tot miraculis ab ipsis olim
confirmatam, doceant. Et certè S.
Joannes Baptista, licèt à Deo extraordi-

90. Vinariè missus fuerit, nullum tamen signum fecit, ut expressè asseritur Joan. 10. v. 42. Ergo Ecclesia aliqua non minus sancta Dei debet, quamvis nulla proferat miracula.

Resp. neg. Suppositum. Supponunt equidem Novatores, se veram et puram Christi doctrinam sectari et profitari, sed falsò, contrarium enim invictis, ubi opus est, demonstramus argumentis. Neque urget, quod de S. Joanne additur. Et si enim miracula non fecerit, ipse tamen miraculum fuit auctoritatis divinæ pondus habens, quam ipsi conciliaverat miraculosa nativitas ex matre sterili et annosâ, vita solitaria, victûs austeritas, conversationis innocentia, prædicationis libertas et efficacia, ipsum Joannis nomen ipsi ante circumcisionem divinitùs impositum, ab Angelô præmuntiatum, et notatione suâ gratiam significans et designans; ut nihil dicatur, de tot aliis, quæ ortum ejus antecesserunt, et circumstetérunt prodigiis; denique Baptismus ab ipso Judæis nullâ sive summorum Sacerdotum, sive Magistratûs alicujus, sed solâ divinâ auctoritate collatus, tot sunt ab ipso edita miracula. Producant Novatores nostri tot in suis auctoribus et Pseudo-Prophetis portenta, ostendantque eos hanc vivendi rationem iniisse et prædicasse, tùm nulla ab ipsis alia miracula expetemus, quibus suæ doctrinæ ~~sua~~ sanctitatem probent. at procul absint, ut id faciant.

Equidem fatemur ad fidei nostræ veritatem, tot jam antiquis miraculis confirmatam, ultrò comprobandam miracula, absolutè loquendo, non ita forè necessaria;

at cum ~~adhuc~~ in nostrâ Ecclesiâ hujusmodi mira- 91
cula inveniantur, meritò inde illius doctrinæ
sanctitatem evincimus. Deus enim, ut jam
insinuavimus, qui præcipuus est miraculo-
rum auctor, in testimonium impietatis
ea patrare non potest.

Ob. 7mo Juxta ~~Ecc~~ nos Ecclesia de- 124.
monstratur ex miraculis, et vicissim mira-
cula demonstrantur ex Ecclesiâ. Atqui hoc
est absurdum, atque circulum vitiosum
redolet. Ergo &c.

Resp. neg. min. Nam rectè et legi-
timè utrumque fieri potest in diversô sci-
licet genere demonstrationis: quemadmo-
dum ex effectu demonstratur causa, et vi-
cissim ex causâ effectus. Etenim ex mi-
raculis demonstratur Ecclesia, non quidem
quoad evidentiam vel certitudinem rei, sed
quoad evidentiam et certitudinem credibili-
tatis. Ratio est, quia ante judicium
et approbationem Ecclesiæ non habetur
evidentia aut certitudo fidei de ullo mira-
culô, quòd sit verum; tùm quia sic fides
esset evidens; tùm quia sic illud nobis
non constat eâ evidentiâ, cui non possit
subesse falsum et Dæmonis illusio, licet
tale sit, ut nobis rem efficiat evidenter cre-
dibilem.

Ob. 8vo Morum corruptela non est 125.
certum falsæ doctrinæ argumentum; Ergo
nec sanctitas morum est nota veræ doctri-
næ, et per consequens, veræ Ecclesiæ.

Resp. trans. ant. neg. cons. Quia
Christus, qui docuit in Ecclesiâ suâ futuros
esse bonos et malos, statuit signum veræ
Ecclesiæ et doctrinæ in sanctitate bonorum.
Sicut igitur signa vitæ in aliquibus cor-

7 45

poris humani membris apparentia arguunt vitam totius corporis; atque signa mortis in aliis membris non inferunt totius corporis mortem; ita Sanctitas vera, quæ in aliquibus Ecclesiæ membris occurrit, ostendit originem veræ Sanctitatis in Ecclesia reperiri.

126. Ob. 9.no Propter Sanctitatem aliquorum Ecclesia non debet Sancta nominari: cum enim accidens aliquod convenire potest toti et parti, si soli parti conveniat, non prædicatur de toto: Atqui Sanctitas convenit tantum aliquibus fidelibus. Ergo p.

Resp. Neg. Maj. Ecclesia enim potest dici Sancta propter magis præcipuas et nobiliores ejus partes, quæ Sanctæ sunt. Sic dicitur exercitus fortis, licet in eo multi sint ignavi; quia aliquos habet viros fortes et strenuos. Sic dicitur civitas opulenta, etsi multos, et in majori numerô habeat cives inopes. Similiter et Ecclesia. Ad paritatem ab accidenti deductam, dicimus eam non valere, quia Sanctitas Ecclesiæ non est accidentalis, sed essentialis. Deinde datur accidens uni duntaxat corporis parti propriè conveniens, quod tamen de toto corpore ~~prædicatur~~ seu subjecto prædicatur. Sic vir firma duntaxat habens latera et brachia robusta, vir fortis dicitur, quamvis ejus fortitudo in brachiis duntaxat et lateribus consistat.

127. Ob. 10.mo Si Ecclesia Catholicorum propter Sanctitatem aliquorum Sancta dici potest, tunc etiam dici poterit prædestinata ~~et~~ vel reprobata, quia in ea sunt electi et reprobi. Atqui sequela est absurda. Ergo p.

Resp. Eam posse dici quidem prædestinatam ob singularem ejus à Deô factam prædestinationem; tum etiam propter præcipuas ejus partes singulari Dei be-

beneficiô electas; non verò Damnata, quia de- 93.
nominatio semper desumitur à parte nobiliori, 8
non à majori; ut patet exemplis supra adductis de exercitu et civitate. Unde in formâ 46
neg. secundum membrum sequela Majoris propositionis.

§. Tertius.

De Catholicitate Ecclesiæ.

Per Catholicitatem Ecclesiæ nihil aliud 128.
intelligitur, quàm ejus Universalitas, hoc est, ejus diffusio per omnia loca, per omnia tempora, per omnia hominum genera, sive per gentes, populos, ac nationes. Ita Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi. 18. Augustinus lib. 2. cont. Litt. Petil. c. 38. Et Epist. 52. aliàs 170. ad Severinum. Optatus Milevitanus lib. 2. cont. Parmenionem. Vincentius Lyrinensis commonitoriô adv. profanas hæreticas Novit. c. 3. Ergo illa Ecclesia dicitur Catholica, quæ per totam orbem est diffusa.

Quod nomen Ecclesiæ Christi jam 129.
viciniioribus ad Apostolos temporibus adhæ- 6 #6
sisse ~~Epistolæ~~ prodit Epistola fratrum Smirnæorum de Martyrio Beati Polycarpi* apud Eusebium lib. 4. c. 15. Et Epistola B. Ignatii ad Smirnæos. Unde rectè Valesius in notis in lib. 4. Hist. Eusebii c. 10. ait: Videri, hoc cognomen Ecclesiæ inditum fuisse circà primam Apostolorum Successionem, cùm nempè hæreses multis in locis exortæ veram Christi fidem, et Apostolorum Traditionem evertere conarentur: Tunc enim, ut vera, et germana Christi Ecclesia ab adulteri-

* fuit Polycarpus Discipulus Apostolorum. 9

 nis haereticorum coetibus distingueretur, Catholica cognomen soli orthodoxorum Ecclesiæ attributum est.

129. Ecclesiam Christi ~~porro~~ porro verè esse Catholicam apud omnes, qui Christiano nomine utuntur, in confesso est. Idque probat S. Augustinus lib. de unit. Eccles. à cap. 6. usque ad 17. 1.° Ex Lege Veteri, in qua promissiones factæ sunt Abrahæ, In semine tuo, inquit nempe Deus ad eum, genes. 22. v. 18. benedicentur omnes gentes. Et Isaaco, Genes. 26. v. 4. Et Jacob, genes. 28. v. 14. Hoc autem semine Christum intelligi docet Apostolus Galat. 3. v. 16.

2.° Ex Prophetis. Isaias c. 11. v. 10. Et erit, inquit, in illa die radix Jesse, et qui exurget principium habere in nationes, in eum gentes sperabunt. Et c. 17. v. 6. germinabit et florescet Israël, et replebitur orbis terrarum fructu ejus. Et c. 49. v. 8. Pone te in testamentum generis in luem gentium, ut sis salus usque ad fines terræ. Quas quidem et alias similes Isaiæ prædictiones, in ipsâ Christi Ecclesiâ, quæ in totum orbem diffusa est, adimpletas esse ostendit.

3.tio Ex Psalmis, ex quibus profert Psal. 2. v. 7. Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Et Psal. 21. v. 28. Convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ seu patriæ gentium. Et Psal. 71. v. 8. Dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Quæ Psalmista testimo-

nia, de Christi Ecclesiâ intelligenda esse ostendit SS. S. Doctor.

4.to Id probat ex Evangeliô et verbis ipsius Domini Luc. 24. v. 46. Quoniam scriptum est, ait Christus, et sic oportebat Christum pati, et resurgere tertiâ die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem. Unde sic concludit c. 10. Teneamus ergo, Ecclesiam ex ore Domini designatam, unde cœptura, et quousque perventura esset; cœptura scilicet ab Jerusalem, et perventura in omnes gentes.

5.to Probat ex Actibus Apostolorum c. 1. v. 8. ubi Christum Apostolos suos sic adloquentem refert S. Lucas. Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ, et Samariâ usque in totam terram. Percurrit deinde idem S. Doctor ea, quæ de Ecclesiæ amplitudine observantur in memoratis Actibus Apostolorum; ac tandem c. 19. concludit nullo Interprete indigere, Canonicarum Scripturarum testimonia, quæ commendant Ecclesiam in totius Orbis communione consistere; ut potè quæ apertè demonstrent illius Catholicitatem seu Universalitatem.

Porrò hanc Catholicitatem esse veram ac singularem Ecclesiæ Christi notam, 130.
velex eo patet; quia ipsa per catholicitatem semper ab omnibus aliis hæreticorum Societatibus, tanquam per indubitatum signum secreta fuit, prout docent SS. Patres.

Augustinus passim, præsertim lib. cont. Ep. fundam. c. 4. Multa, inquit, sunt alia, qui ejus [Catholicæ Ecclesiæ] gremio me justissimè teneant..... tenet me pos-

Prima SS. p. 47.

96. Tremò ipsum Catholica nomen, quod non sine causâ inter tam multas haereses sola Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se Catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullum haereticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Et hom. 131. de temp. n. 242. ubi ait, idcirco Ecclesiam Christi in Symbolo appellari Catholicam, quia totô orbe diffusa est. Diversorum autem haereticorum Ecclesiae ideo Catholicae non dicuntur, quia per loca, atque per suas quasque provincias continentur. Haec verò à solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. Item lib. de verâ Religione c. 7. n. 12. Tenenda est nobis, inquit, Christiana religio, et ejus Ecclesia, quae Catholica est, et Catholica nominatur, non solùm a suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque haeretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi nisi hoc eam nomine discernant, quô ab universô orbe nuncupatur.

S. Hieronymus Dialogô adv. Luciferianos, In illâ, inquit, Ecclesiâ permanendum est, quae ab Apostolis fundata usque ad hunc diem durat. Dic ubi audieris, eos, qui dicuntur Christi, non à Dominô Jesu Christô sed a quoquam alio nuncupari; ut pote Marcionitas, Valentinianos, Montanistas p. Scito non esse Ecclesiam, sed Antichristi esse Synagogam. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus praenuntiavit p.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. Quod si fortè, inquit, veneris in civitates,

non simpliciter interroga, ubi sit Ecclesia sed 97
ubi catholica Ecclesia. Hoc enim proprium nomen est Sanctæ hujus et matris omnium nostrûm, quæ est Sponsa Domini nostri Jesu Christi. Quasi dicat, si hoc petas, nullus Hæreticus hanc Ecclesiam ostendet.

S. Pacianus Ep. i. ad Symproniannum Novatianum, quæ Epistola de Catholico nomine agit: Catholicum istud nomen, inquit, nec Marcionem, nec Appelem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit auctores. ..... Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor.

S. Epiphanius hæres. 68. n. 3. refert eos, qui Meletio Schismatis Alexandriæ orti autori adhærebant, ut se ab iis, qui Episcopum Alexandrinum sequebantur, distinguerent, suam Ecclesiam vocasse Ecclesiam Martyrum. 2ba 48 alios verò scilicet Petri Præsulis Alexandrini sectatores, penes quos veteres erant Ecclesiæ, retinuisse titulum et nomen Catholicæ Ecclesiæ.

Ante ipsos S. Justinus Dial. cum Triph. sunt, inquit, à nobis, sub nomine eorum virorum, unde doctrina et sententia quæ libet extitit, denominati ..... Et sunt eorum quidam, qui vocantur Marcionitæ; quidam verò Valentiniani, Basilidiani, Saturniani, et alii alio prædicti nomine, à principe sententiæ quisque nomen obtinens.

Idem asserit S. Irenæus lib. i. c. 23. aliàs 20. Habent, inquit, et vocabulum à principe impiissimæ sententiæ Simone dicti Simoniani.

Idem etiam testabatur S. Cyprianus lib. de Unit. Eccl. Ecclesia, inquit, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos

98. porrigit .... ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latius expandit.

Hisita de nomine et naturâ Catholicitatis prælibatis superest hic probare, num ergo hæc Ecclesia Christi nota Romanæ Ecclesiæ conveniat, an verò Protestantium Societati. Pro quo sit

131 Conclusio.

Ecclesia Romana est Catholica, non autem Societas Protestantium.

Prob. 1ma pars Conclusionis 1o Ut Ecclesia Romana sit verè Catholica, satis est, quòd illa fidelium Societas, quæ Episcopo Romano ut Capiti suo adhæret, sit verè universalis; hoc est semper fuerit, et in omnem locum diffusa. Atqui talis est Societas, quæ communionem habet cum Episcopo Romano. Ergo.

Pb. min. ac 1mo quidem hæc Societas semper fuit: tum quia Christus ipse eam fundavit, quando Petrum illius fundamentum constituit, atque voluit, eum primum inter Apostolos sedere, ejusque successores primos esse inter Episcopos, ut postèa ex professò probabimus. Tum quia semper omnibus sæculis spectata est hæc communio cum Sede Romanâ, tanquam signum veræ ac Catholicæ fidei certissimum, ut 5to hujus Capitis Paragrapho demonstrabimus.

2o. In omnem etiam locum diffusa est hæc Societas: tum quia iidem SS. PP. qui declarant Ecclesiam Christi in totum terarum orbem esse diffusam, eandem cum Episcopò Romanò communione conjunctam esse asseverant. Ita inter complures alios imò omnes Tertullianus, et S. Irenæus sæculò secundò. S. Cyprianus sæculo 3tiò SS. Optatus, Augustinus, et Hieronymus sæculo 5tò Tum quia revera Societas illa, quæ Romanum

Episcopum tanquam Caput suum agnosit, in omnes hujus orbis partes latè diffunditur. Est enim in Oriente, apud Indos, apud Persas, apud Sinenses, Japonitas, Siamenses, et in omnibus fermè Insulis maris, quod has provincias aluit. In Occidente, apud utrinsque America incolas, et in tota Europâ, in cujus majori parte florentissima est, quamquam in quibusdam alis partibus persecutionem patiatur. In Meridie habuit olim illustrissimas Sedes et notissimas frequenti Episcoporum numerô Synodos, et licet nunc à Barbaris occupentur hæ regiones, habet tamen et suos in iis fideles, qui hujus antiquæ fidei sunt etiamnunc cultores.

~~Ob. eadem min. 1.do Illa Societas vera est Catholica, quæ Romano Pontifici semper adhæsit, et etiamnunc adhæret, sed Societas Romana est Catholica, ergo.~~

Ob. eadem min. 2.do Illa Societas verè est universalis seu Catholica, quæ sola semper sic vocata fuit, et etiamnunc adhuc ita vocatur. Atqui Societas seu Ecclesia, quæ communionem servat cum Romano Pontifice semper Universalis seu Catholica vocata fuit, et etiamnunc adhuc ita vocatur. Ergo.

Major patet, nec nisi ab insano, et qui totum orbem mendacii arguere velit, negari potest.

Min. Ob. quoad primum: certum est e.g. SS. Augustinum, et Hieronymum in eâ fuisse Societate, quæ communionem habet cum Romano Pontifice, ut patet ex testimoniis eorum passim jam relatis, et adhuc referendis. Atqui S. Augustinus sæpiùs contrà Donatistas asserit, eos deseruisse veram Ecclesiam, quæ est Catholica: Agens verò contra Manichæos ait, se vel ipso Catholicæ nomine in Ecclesiâ Catholicorum retineri. Ergo

Alia 49

100. juxta S. Augustinum, nec secta Donatistarum, quam impugnabat; nec Manichaeorum, quam relinquerat, erat Catholica, sed sola illa Ecclesia, in cujus gremio post suam conversionem vivebat, et quam, prout primùm recensimus, lib. de Unit. Eccles. ex Lege, Prophetis, Psalmis, et Evangelio diffusam esse probat.

Eodem argumento utitur S. Hieronymus Dial. adv. Luciferianos.

Pb. etiam quoad secundum. Unaquaque Societas nomen suum desumit vel ab autore suo, vel à suâ doctrinâ: sic olim diti sunt Eutychiani, Nestoriani, Macedoniani, Ariani, Valentiniani, ab autoribus suis; et nunc Lutherani dicuntur à Luthero, Calvinistæ à Calvino, Sociniani à Socino; Anabaptistæ, Sacramentarii, à suis, quos defendunt, erroribus, prout omnibus notum est: soli verò nunc vocantur Catholici, qui communionem habent cum Ecclesiâ Romanâ.

Pb. eadem min. 3tio Illa Societas verè est Universalis, quæ præter diffusionem in omnia tempora et loca, habet etiam doctrinæ universalitatem; hoc est, quæ nullum docet errorem, sed veteres, et recentiores lutheranorum et Calvinistarum errores unacum priorum Seculorum Ecclesiâ damnat: atqui talis est Societas nostra, quæ Episcopo Romano adhæret. Ergo &c.

132 Secunda pars Conclusionis, Societatem Protestantium nempè non esse Catholicam. Prob. 1o Quia nec fuit semper, nec est ubique. Primò, non semper fuit: tùm quia ante exortas Lutheri et Calvini Sectas nobiscum communicabant in eâdem Sacramentorum, et precum participatione, atque iisdem Pastoribus subjectione. Tùm quia ne quidem ratione doctrinæ, quam tunc

profitebantur, est universalis; cùm illos omnes 101.
illorum articulos à nostris diversos primitiva Ecclesia jam damnaverit in veteribus haereticis, quorum errores ferè jam extinctos excitârunt ac renovârunt Lutherani et Calvinistae. Secundò Non est ubique.
Neque enim praeter Occidentem alias orbis partes illorum doctrina nonnisi leviter infecit, quidquid ipsi jactent in contrarium. Vix in Oriente cognoscuntur Lutherani, et Calvinistae; aut si de iis aliquid ibidem auditum est, habentur tanquam partium Occidentalium Haeretici: Ecclesia verò Catholicorum ubique nota est.

Ob. Conclusio 2do Quia fatentur ipsi Protestantes, multitudinem credentium non esse semper notam veraе Christi Ecclesiae, quam aliquando in paucis et praedestinatis conservari tuentur.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1o Universalitas seu diffusio Ec- 133.
clesiae per totum orbem in Scripturis praenuntiata, non potest convenire Societati, seu Ecclesiae Romanae, ut pote quae apud multas sive Occidentis sive Orientis Nationes non vigeat. Ergo aut veràe Catholica non est Romana Ecclesia, aut si est, necesse est asserere Ecclesiam Christi omnes Societates complecti, modò non erent in fundamentalibus fidei articulis.

Resp. Neg. Ant. 1o Illa Ecclesiae diffusio à Prophetis praedicta non strictè et metaphysicè sumenda est, sed moraliter, id est, pro majore orbis parte et praecipuis mundi partibus. Sic apud Jeremiam c. 34. v. 1. et Danielem c. 2. v. 39. et c. 8. v. 21. dicitur Nabuchodo-

2/(a
/50

102 Pompeius occupasse omnia regna terræ, et Alexander imperaturus universæ terræ, quam unquam contigerit, ut alteruter eorum in universo orbe regnaverit; sed significare duntaxat vult hic Scriptura, utrinsque hujus Imperatoris dominationem in plurimas terræ partes diffusam fuisse.

Sic etiam illam Ecclesiæ diffusionem ~~ita~~ à Prophetis prænuntiatam intellexerunt SS. Patres, atque inter alios D. Augustinus,* qui docet, Ecclesiam hoc tempore nondum ubique constitutam, nec ad extremum terræ perventuram ante finem hujus mundi: hæc tamen Prophetias in Ecclesiâ hui temporis esse adimpletas, fusè et invitè probat adversùs Donatistas locis in margine citatis.

K * Ep. 93. alias 48. et 197. alias 78. Item Ep. 149. alias 80.

2.do Triplex distingui potest in verâ Christi Ecclesiâ ~~concepto~~ diffusio: Successiva nempe, quâ successu temporum Evangelium omnibus annuntiari debet; hæc autem diffusio omnem omninò terram completitur, quia nulla erit pars in quam non perveniat fides Christi; atque hæc successiva diffusio soli Ecclesiæ Romanæ convenit, cùm ipsa sola Christum apud exteras nationes annuntiaverit. Alia est permanens perpetua et tota visibilis. atque ut de illa intelligantur Prophetiæ, hæ non sumi debent in sensu metaphysicò, sed morali. Tertia denique Ecclesiæ Christi diffusio dicitur permanens partim visibilis et partim invisibilis; hæque completitur non tantùm omnes Sanctates, quæ in Christum credunt, et communionem habent cum Episcopò Romanò, sed et eos omnes, qui degunt inter hæreticos, neque hæresi eorum autu et explicitè participant.

3tio. Istud Protestantium argumentum nimium probat, quia inde etiam sequitur, quòd, cùm Societates idolorum qui in fundamentalibus fidei articulis non errant, totum orbem non occupent, neque etiam Ecclesia illa, quam dicunt esse Universalem, re ipsa universalis sit. Ergò in sensu Morali, ut dictum, sumenda sunt allata de Ecclesia Catholicitate Prophetia. 103.

Ob. 2do. Nusquam legitur promissa diffusio Ecclesiæ Romanæ; neque etiam legitur præcepta à Christo vel ab Apostolis communicatio implicita vel explicita cum Romanô Pontifice. Ergo &c. 134.

Resp. Reg. ant. quoad utrumque. Ad 1mum Vel promissa est illa diffusio Ecclesiæ quæ primis quingentis annis communicabat cum Episcopô Romanô, vel aliam alteri: Si primum, frustrà dicunt adversarii, eam non adhuc esse diffusam, quasi divinæ promissiones non fuerint efficaces; frustrà dicunt, eam non completi omnia tempora, cùm eadem fuerit Ecclesia sub Christô et Apostolis, quæ cum Romanô Pontifice primis quingentis annis communicavit. Si secundum, tunc designent aliam, cui facta sit illa promissio. Certè S. Augustinus et Optatus promissiones illas Dei de Ecclesiâ, in quâ vivebant, et quæ communionem habebat cum Episcopô Romanô, intelligendas esse existimaverunt.

Ad 2dum Certum est, Christum et Apostolos præcepisse communionem tùm implicitam, tùm explicitam inter fideles et Ecclesiæ Pastores: atqui inter Pastores Episcopum Romanum agnovit antiquitas, cum quo ordinariè communicabant fideles;

104. imò communionem hanc veluti certissimum Catholicitatis argumentum habuerunt.

135. Ob 3tio Ecclesia, quæ primis quingentis annis toto orbe diffusa fuit, non habebat fidem communem cum Leone Papa X. Sub quo Secessio facta est, neque cum iis Pontificibus, qui aliquot sæculis eum antecesserunt. Ergo non receditur ab Ecclesiâ Catholicâ, licèt à communione Episcopi Romani discedatur.

Resp. 1o neg. suppositum. Quæstio enim non est, utrum Ecclesia, quæ fuit primis illis temporibus hanc habuerit fidem; sed quæritur, an extiterit Ecclesia verè Catholica, tempore inchoatæ Secessionis, quæ non communicaverit cum Episcopô Romanô, aut ejus communionem neglexerit. Si mulo fuit; ergo illa, quæ communionem cum ipso servabat, erat verè Catholica vi promissionum Dei; ac proinde Protestantes, qui eam deseruerunt, verè fuerunt Schismatici.

Resp. 2do neg. ant. Eadem fuit Ecclesia primorum sæculorum, ac Leonis et ipsius antecessorum temporum fides. nec contrarium unquam probare valebunt adversarii.

136. Inst. 1o Tempore inchoatæ Reformationis Ecclesia Catholica in multis membris externam communionem non habebat in fide cum Romanô Episcopô. Nam Ecclesia Africana, Græca, Syra et alia Orientales Ecclesiæ erant universæ Ecclesiæ membra, quæ tamen cum Episcopô Romanô non communicabant; negabant enim præcipuum Romanæ communionis fundamentum, scilicet potestatem Pontificis Romani. Ergo.

Resp. neg. totum ant. Perperam dicunt adversarii illas societates membra fuisse universalis Ecclesiæ. Tum quia, ipsis

ultro fatentibus, lapsæ sunt in capitales errores, 105
quod sufficit, ut non pertineant ad veram
Ecclesiam, prout denuò ipsimet fatentur.
Tum quia debet esse communio inter omnia
membra universalis Ecclesiæ; adeoque, si Eccle-
siæ Orientales et Protestantium sint veræ
Ecclesiæ membra, debet esse aliqua inter has
et illas communio in fide vel explicita vel
implicita: neutram tamen probare possunt;
non explicitam, cùm nullum sit vel litteris
vel congressibus, vel legationibus interipsas
commercium; non implicitam, cùm non
eandem fidem teneant; nam in sententiâ
Protestantium, Ecclesiæ Orientales lapsæ sunt
in errores fundamentales; et in sententiâ
Ecclesiarum Orientalium, doctrina Protestan-
tium in multis est hæretica.

Inst. 2do Catholicorum est ostendere 137.
Ecclesiam universalem tempore separationis
in fide cum Episcopô Romanô communicasse:
Ergo &c. Resp. neg. ant. facile quidem foret
Catholicis istud probare, sed cùm nostram com-
munionem deseruerint Protestantes, ut à cri-
mine Schismatis se purgare possint, debent
designare Ecclesiam, quæ sit membrum Eccle-
siæ Catholicæ et Universalis, et quæ non com-
municaverit cum Romanô Pontifice, cui sese
post separationem conjunxerint. At verò
nullam talem ostendere possunt.

Inst. 3tio Etiamsi constaret omnes 138.
Ecclesias cum Romanâ societate commu-
nionem servasse tempore reformationis, non-
dum tamen constaret communionem illam
fuisse perfectam, hoc est, in internâ fidei
professione: imò verisimile est, omnes man-
sisse quidem in Coetu Papisticô, non in sen-

106. In; in Ecclesiâ, non in factione Ecclesiam pre-
mente; in communi veritatis professione, non
in opinionibus Doctorum. Ergo p.

Resp. neg. secundum membrum ant.
Qui fuerunt in externâ communione Ecclesiæ
Romano-Catholicæ etiam præsumuntur fuisse
in interiori fidei communione, nisi contrarium
probetur; ideoque et præsumuntur consensisse
in capitales articulos Ecclesiæ Romanæ. fuerint
consensus ille quoad nonnulla explicitus, vel
implicitus, parum refert, modò illa explicitè
tenuerint, quæ sunt omnibus necessaria: nun-
quam autem adigati fuerunt fideles aliquibus
Doctorum opinionibus, quemadmodum neque
nunc adigantur.

Ob. 4.to Ex multitudine præcisè non po-
139 test inferri veritas. Ergo diffusio Ecclesiæ non
potest esse nota sufficiens, per quam cognos-
catur vera Ecclesia, quando præsertim disputatio est de doctrinæ veritate.

Resp. Dist. ant. Si multitudo illa veritatem non teneat, conc. sens, neg. ant. Non
dicimus solam sufficere multitudinem, ubi
non occurrit veritas; sed dicimus, eam doctrinam veram esse, quam per orbem univer-
sum diffusa Ecclesia profitetur; et ideo cum
S. Optato ad orbem terrarum provocamus, juxtà
promissiones divinas, orthodoxâ fide in Christum credentem. Ad eundem sensum provo-
cabat S. Augustinus disputans contra Donatis-
tas. Addimus nos cum ipso, nihil esse apud
Protestantes, quod nos invitet, et teneat; so-
la ibi personat veritatis pollicitatio. Tenet
ergo nos multorum populorum consensus, ad-
hæremus multitudini juxtà promissiones di-
vinas: Protestantes verò à multitudine
recesserunt, nec habent eam, ad quam provocant,
multitudinem.

Ob. 5.to Ecclesia Christi non semper fuit diffusa. Ergo diffusio ꝑ non est nota ipsius. 107. 140.

Ob. ant. 1.o ex S. Augustinô, qui testatur* innumerabiles extitisse Barbaros in Africâ suô tempore, quibus nondum prædicatum fuerat Evangelium. 2.do Arianorum tempore tam pauci erant veræ fidei cultores, ut teste S. Hieronymô Dial. adv. Lucifer. ingemuerit totus orbis, et se esse Arianum miratus sit. alibi dicit,* Arianismum totum Orientem possedisse. Ergo.

* Ep. 199. aliàs 80. k l

* Ep. 38. aliàs 61. k m

~~Resp. neg. ant. ad ejus probationem~~

Resp. neg. ant. ad ejus probationem, et quidem ad auctoritatem S. Augustini, dicimus jam, necessarium non esse, ut Ecclesia Christi totum simul mundum occupet, vel ut sit diffusior omnibus sectis simul sumptis, sed satis esse, si qualibet sectâ sit diffusior. Certum est enim eam Catholicam fuisse tempore S. Augustini, prout ipsemet adeò invictè probat adversùs Donatistas.

Ad 2dum Resp. Longè plures fuisse tunc in orbe Catholicos, quàm Arianos, idque demonstrat invicta fortitudo, qua fidelis populus Alexandriæ, Constantinopoli, Antiochiæ, Samosatæ, Mediolani, Arianis constanter restitit, ubi suæ sectæ Episcopos in illas Sedes intruserunt. Demonstrant innumeræ Sanctorum Monachorum turmæ, qui Ægypti deserta incolebant, et quos tanquam strenuos Nicænæ fidei defensores impensè colebat Athanasius et fovebat. Demonstrat enumeratio omnium provinciarum, quæ in Nicænæ fidei professione, et Ariana hæresis damnatione consentiebant, et persistebant; prout refert S. Athanasius Ep. Synodicâ de fide ad Jovinian. Imp. quam describit Theodo-

108. retus lib. 4. Hist. c. 3. Idem constat ex Lucifero Calaritano in lib. cui titulus, Quòd moriendum sit pro filio Dei. Item Ex Ep. Synodica Damasi et aliorum Occidentalium ad Episcopos Illyrici, quam refert idem Theodoretus lib. 2. Hist. c. 22.

Ad testimonia S. Hieronymi Resp. ad primum Illa loquitur hyperbolicè et eo sensu quòd, cùm in novâ fidei regulâ Patres Niceni Concilii prætermisissent in hô decretô Substantiæ vocabulum, et eam ob rem Arianis ad oppugnandam fidem Catholicam aditum ~~patefecissent~~ patefecissent, eidem S. Hieronymo visi fuerint, velut fidei Nicenæ proditores, unde ait, miratus est orbis terrarum, se esse Arianum.

Ad 2dum Resp. Eô ~~longe~~ sensu illum dixisse, totum Orientem exceptô Papâ Athanasiô, atque Paulinô possedisse Arianam hæresim, quia in multis duntaxat partibus grassabatur, atque in iis sumpserat initium, neque à multis illarum regionum Episcopis, ut et ab Imperatoribus præsidium acceperat. Quamvis à longè pluribus aliis egregiè propugnaretur doctrina Catholica, qua filium Patri consubstantialem statuebat.

§. Quartus

141. ## De Apostolicitate Ecclesiæ.

Illam Ecclesiam esse, et diu debere Apostolicam, quæ ab Apostolis fundata sit, atque ab ipsis originis suæ antiquitatem et doctrinæ suæ conformitatem trahat, extra dubium apud omnes est; idque passim Veteres Patres docent. ut Tertullianus de præscript. c. 20. 36. et 37. Item lib. adv. Marcion. c. 4.

Irenæus lib 3. adv. hæres. c. 3. Hieronym. 109
Ep. ad Pamach. et Ocean.

Unde laudatus Tertullianus ostendit, quòd, etsi possent hæretici de quâdam apud se ~~[illegible]~~ Successione gloriari, nondum tamen quidquam obtinerent; neinon falsitatis redarguerentur ex contrarietate et pugnâ doctrinæ ipsorum cum Apostolicâ.

Memoriâ quoque ~~prodit~~ proditum est, Veteres exortas in Ecclesiâ de Religione controversias ex conformitate doctrinæ cum Apostolicâ ~~dij~~ dijudicasse. Sozomenus quoque laudat Imperatorem Theodosium, quòd hâc viâ hæreticos sui temporis compescere tentaverit.

Sed et Legitimam Pastorum missionem necessariam ac veram Apostolicæ Ecclesiæ notam esse, apertum est. 142.

Neque enim sive in Veteri, sive in Novô Testamentô ullus unquam fuit legitimus Pastor, qui non fuerit à Deo missus. In veteri quidem, nullus, nisi qui foret ex Stirpe Aaronis, sacris se immiscere ausus est, ~~[illegible]~~ ac quicunque extraneus thuribulo manum admovere tentavit, severè punitus est, ut exemplis Dathan, et Core; necnon Regis Oziæ compertum est.

In Novô, nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron, inquit Apostolus, ad Heb. 5. v. 4. Et Rom. 10. v. 15. Quomodò verò prædicabunt, inquit, nisi mittantur. Item Ephes. 4. v. 11. ab eodem dicitur Christus dedisse quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores,

110. et Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii.

Inde est, quod, qui sine missione honorem sibi arrogare ~~[illegible]~~ præsumpserunt, velut Schismatici habiti sint, iisque annumerati, de quibus dicit Dominus apud Jeremiam c. 23. v. 21. Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad illos, et ipsi prophetabant.

Hujusmodi homines Christus ipse furibus et latronibus comparat, dum ait Joan. 10. v. 1. Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, fur est et latro.

De iisdem quoque loquitur Tertullianus, de Præscrip. c. 37. ubi, Qui estis, inquit, quando, et unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique Marcion jure Sylvam meam cædis? Qua licentia Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate Appedes, limites meos commoves? Mea est possessio, dum possideo, prior possideo, habeo origines firmas abipsis autoribus, quorum fuit res.

Item S. Cyprianus lib. de Unit. Eccles. de Hæreticis loquens, Hi sunt, inquit, qui se ultrò apud temerarios convenas sine divinâ dispositione præficiunt; qui se præpositos sine ullâ ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.

Adde, quod Ecclesia non possit esse sine Episcopo. Ecclesia, inquit S. Hieronymus Dial. adv. Luifer., non est, quæ non habet Sacerdotes. Et S. Cyprianus Ep. 69. Ecclesia, inquit, est plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adherens. Unde scire de-

bos, Ecclesiam esse in Episcopô, et Episcopum in Ecclesiâ; et si qui cum Episcopô non sit, in Ecclesiâ non esse. Idem habet Ep. 27.

Denique, Successionem Pastorum ab Apostolis non interruptam esse Apostolicæ Ecclesiæ notam, et quidem Ecclesiæ Christi propriam ostendunt

1º Testudiamus de Præscript. c. 32. Cæterum, inquit, si quæ /: hæreses: / audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideò videantur ab Apostolis tradita, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit autorem, et antecessorem. Hoc enim modô Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt; sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert. Sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit: proinde utique et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici. Quid enim idis post blasphemiam inlicitum est.

2º Do S. Irenæus lib. 3. c. 3. hanc tiam continuam Episcoporum successionem Hæreticis opponit, atque Catalogum texit Episcoporum Romanorum, qui à S. Petro usque ad Eleutherium, qui sûa ætate rebus Ecclesiæ præerat, Romanam Ecclesiam gubernarûnt. Quoniam, inquit, longum est valde est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maxima et antiquissima, et omnibus cognita,

112. à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, et Paulo Romæ fundata et constituta Ecclesia, eam, quam habet ab Apostolis, Traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per Successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio.

Et lib. 4. c. 26. alias 43. n. 2. Eis, inquit, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui Successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus: qui cum Episcopatus Successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt: reliquos verò, qui abstitunt à principali Successione, et quibunque locò colligunt, suspectos habere, vel quasi Hæreticos et malæ sententiæ; vel quasi scindentes, et elatos, et sibi placentes &c.

Idem ab Hæreticis sui temporis postulabat S. Optatus. Vos, inquit lib. 2. cont. Parmenian. vestræ cathedræ originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.

Ex hactenus delibatis ergo habetur, quòd, ut quodam Christiana Societas præclarâ ac præstanti Apostolicitatis notâ decorari mereatur, necesse sit 1.º ab Apostolis originem ducat. 2.do Ut eandem cum ipsis Doctrinam sectetur, et profiteatur. 3.tio Ut idius Pastores legitimam missionem et Successionem habeant ab Apostolis, quæ minimè interrupta fuerit.

His ita positis, ut quæ postea, quæ disse- 113.
ruimus, minimè controversa esse possint;
videndum modò, cuinam hæ conditiones
conveniant, an Ecclesiæ Catholicorum, an-
verò Protestantium Societati. Sit igitur.

Conclusio.

Hæ Apostolicitatis conditiones soli 143.
Ecclesiæ Catholicorum conveniunt, non verò
Protestantium Societati.

Pb. Conclusio quoad primam con-
ditionem seu Originem. Ecclesia nostra
seu Catholicorum est eadem cum Ecclesiâ
quinque primorum Seculorum. Atqui
hanc verè Apostolicam fuisse, atque ab
Apostolis originem suam traxisse ipsimet
fatentur adversarii. Ergo et nostra.

Pb. Maj. 1º Ex unione ipsius cum Cathe-
drâ Papali, quam ut Cisteram et centrum
unitatis et communionis Ecclesiasticæ agno-
vit, et habuit tota antiquitas, prout hacte-
nus tum Conciliorum tum SS. Patrum au-
toritate jam demonstravimus; et fusius ad-
huc demonstrabimus cap. 5to ubi de auto-
ritate Summi Pontificis, seu Romani Epis-
copi agemus. 2º Ex publica Veteris
~~Ecclesiæ~~ et quinque primorum Seculorum
Ecclesiæ professione, quâ Sedem Romanam
et Universale Concilium tanquam supremum
Ecclesiæ Tribunal in causis fidei et Religio-
nis dijudicandis agnovit. 3º Quia,
ut loquitur Bellarminus De notis Ecclesiæ
c. 5. Si à primævâ Apostolicâ Ecclesiâ nos-
tra defecisset, nunquam mutationem passa
fuisset, certè vel saltem una ex iis, quæ
in omni insigni Religionis mutatione ob-
servantur, demonstrari posset, nempè
auctor hujus defectionis, et mutationis;

Prima Pt. pag. 55

114. Dogma aliquod novum; tempus quo coepit; locus ubi coepit; quis eam oppugnaverit; exiguus coetus, ex quo coeperit; et undè paulatim aliorum accessu creverit. Hæc enim omnia evenisse demonstrantur in celebri illâ Ecclesiæ mutatione, cùm scilicet auctore Christô à statu veteris ad statum novi Testamenti ipsa transiit. atqui defectionis hujus à pristinâ Ecclesiâ, atque insignis mutationis in nostrâ Societate seu Ecclesiâ nullum ex præditis signis proferri potest. Ergò p.

144 È contrà Societatis Protestantium auctor, tempus, quo nata est, et locus; necnon dogmata illius, quæ ~~ab~~ ipsius auctor fabricavit, ~~non~~, vel potius ab antiquâ Ecclesiâ jam dudum in Simonianis, Pelagianis, Novatianis, Donatistis, Arianis damnata, demò innovavit, facilè consignari possunt, prout videre est apud Coccium in Thesauro lib. 8. de signis Ecclesiæ art. 3. et Bellarminum de Notis Ecclesiæ lib. 4. c. 9. Ipsique fatentur Adversarii, dum ajunt, se in multis ab antiquâ quinque priorum sæculorum Ecclesiâ dissentire. Omnes ferè veteres, inquit Calvinus lib. 3. Inst. c. 4. n. 38. quorum libri existunt, ubi de satisfactione agitur, aut hac in parte lapsi fuerunt, aut nimis asperè et durè locuti sunt. Item c. 5. n. 10. Ante mille, inquit, et trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis

Sed in errorem lapsi sunt veteres. Ita etiam 145.
loquitur circà coelibatum Sacerdotum, circà poenitentiam publicam, quæ olim in Ecclesiâ vigebat, circà jejunium quadragesimale; atque veterum austeritatem immodicam, et superstitionem circà hæc capita nullatenus excusari posse; neque ipsi Augustino parendum existimat, quem aliàs tamen magni facere videbatur, quòd nempe votum matris de sacrificiô pro sui memoriâ et requie offerendô adimplevisset contrà S. Scripturæ normam. alia multa, quæ passim apud Protestantes occurrunt, prætermittimus.

Præterea, cùm nostri Reformatores ante suam separationem in Communione Catholicorum fuerint; necesse est 149.
ut fateantur, vel hanc Catholicorum societatem fuisse veram Ecclesiam, et sic erunt Schismatici, quòd ab eâ recesserint; vel se novam instituisse, et hinc originis suæ novitatem demonstrabunt; vel alium alteri tandem, quæ Catholicâ antiquior esset, se adjunxisse; verùm nullam assignare possunt, cum quâ societatem et consortium habere solliciti fuerint, aut cui ea obsequia, quæ ceræ Ecclesiæ debentur ab hæreticis recèns conversis, præstiterint.

2/56

Pb. Conclusio quoad 2dam quòd 146.
scilicet Societas nostra sit Apostolicâ ratione doctrinæ ab Apostolis ad nos usque derivatæ.

1º Quia fidei nostræ capita omninò conveniunt cum iis, quæ quinque pri-

146. mis ~~Ecc~~ Seculis Vetus et Apostolica Ecclesia propugnavit, prout facilè demonstramus, cùm de singulis fidei nostræ capitibus cum Novatoribus disputamus, necnon decursu Theologiæ nostræ ostendemus.

2°. Quia, ut primùm annotavimus, ipsi Adversarii nostri se in iis ab antiquâ primorum quinque Seculorum Ecclesiâ dissentire ultrò asserunt, quæ tamen ~~nobis~~ cum antiquâ illâ Ecclesiâ nobis esse communia sciunt, et fatentur. vid. Luther. lib. de Capt. Babyl. Calvin. lib. 3. Instit. c. 4. n. 38. et c. 5. n. 10. sup. cit. Centuriat. et alios passim Acatholicos Scriptores.

147. At contrà Societas Protestantium non habet hanc doctrinam ab Apostolis derivata antiquitatem. 1°. Quia eam doctrinam renovant et ~~propu~~ propugnant, quam Vetus et Apostolica Ecclesia dudum jam in antiquis hæreticis proscripsit, prout fusè ostendit Bellarminus lib. 4. de Notis Ecclesiæ c. 9. Ut 1°. Simonianorum, qui docebant, salvari homines secundùm gratiam tantùm non verò secundùm opera justa. 2°. Cerinthianorum, qui docebant, non posse homini ulla peccata nocere, modò fidem habeat. 3°. Florini, qui docebat, Deum esse causam peccatorum. 4°. Origenis, qui asserit, Adamum perdidisse imaginem Dei, ad quam creatus fuerat. Item, infernum nihil esse, nisi conscientiæ horrorem. 5°. Peputianorum, qui mulieribus eum honorem tribuebant, ut etiam Sacerdotiò apud ipsos fungerentur. 6°. Proli, qui dicebat, peccatum in renatis semper vivere: concupiscentiam quippe verè esse peccatum, nec tolli

per Baptismum, sed Spiri per fidem: Idem 117
postea docuerunt Messaliani haeretici.

7º Novatianorum, qui tuebantur, non esse in Ecclesiâ potestatem reconciliandi homines Deo, nisi per Baptismum, nec debere baptizatos inungi Chrismate ab Episcopô, id est, Sacramentum Confirmationis suscipere.

8º Sabellii, qui docuit, unam tantùm esse personam in Deô, non tres. 9º Manichaeorum, qui hominum naturam damnabant, et liberum auferebant arbitrium, nec peccatorum originem libero arbitrio tribuebant. 10º Donatistarum, qui Ecclesiam ex solis justis constare volebant, atque inde deducebant Ecclesiam visibilem periisse de orbe terarum, et in solâ Africâ remansisse. Romanam Sedem pestilentiae cathedram appellabant, altaria frangebant, Ecclesias spoliabant, sacros calices vendebant, Eucharistiam canibus dabant, sacrum Chrisma projiciebant. 11º Arianorum, qui docebant filium Dei esse Patre minorem, nec ullô modô traditiones non scriptas recipiebant, quos in hac haeresi imitati sunt multi alii, ut Nestorius, Dioscorus, Eutyches, ut habetur in Synodo VII. act. 1. 12mo Aërianorum, qui docuerunt, non oportere orare vel offere pro mortuis oblationem; nec statuta solemniter celebranda esse jejunia; neque Presbyterum ab Episcopô ullâ differentiâ debere discerni. 13tio Joviniani, qui asserunt, hominem post Baptismum peccare non posse, si verè baptizatus fuerit, id est, si ~~vera~~ veràa fidem et gratiam Dei acceperit: ciborum delectum, et jejunia non esse meritoria; conjugium virginitati dignitate et meritô aequari: beatorum praemia

3/57

118. esse paria: B. Mariam in partu carnis Virginitatem amisisse. [14.to Vigilantii, qui docuit, Sanctorum reliquias non esse venerandas: orationes mortuorum pro aliis non exaudiri, adeoque Sanctos frustra invocari: Ecclesiasticos debere esse uxoratos; non expedire relinquere omnia, et dare pauperibus, et ad religionem, relictô saculô, properare. 15.to Pelagianorum, qui docebant, non esse in hominibus peccatum originale, et præcipuè in filiis fidelium: per quodlibet peccatum, quamvis levissimum, perdi justitiam; ac proinde omne peccatum esse mortale. 16.to Nestorianorum, qui docuerunt, in Christô esse duas naturas, et duas personas: omnes veteres contemnebant. 17.mo aliorum hæreticorum, forte Nestorianorum etiam, ut qui iisdem temporibus grassati fuerint, qui docebant, in Eucharistiâ non manere corpus Christi, si servetur in alteram diem. 18.vo Eutychianorum docentium, unam esse in Christô naturam. 19.no Xenaia Persæ, qui asserit, Christi et Sanctorum imagines non esse venerandas.

20.mo Lampetianorum docentium, Monasteria debere esse libera, id est, sine votis perpetuis. 21.mo Denique, aliorum quorumdam, qui negabant, Eucharistiam verè esse carnem Christi, et tantùm figuram, seu imaginem corporis Christi esse volebant.

Hos verò errores habitos esse communiter ab Ecclesiâ quinque primorum sæculorum pro exploratis et damnatis hæresibus, testes completes sunt Irenæus, Hieronymus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodo-

retus, Damascenus, et alii, qui omnium illius 119.
temporis haeresum tenebre catalogum, et
quarum aliquae in Synodis etiam recensentur,
et damnantur.

Atqui haereses omnes tuentur nos-
tri Novatores, et licet aliqui quibusdam
eorum duntaxat sint peculiares, tamen
omnibus notum est, nec ipsimet diffiten-
tur, plerosque ab ipsis propugnari, ut vi-
dere est apud Bellarminum loc. cit.

2°. Quia, ut priori argumento dic-
tum, fatentur Protestantes ipsi, se in multis
ab antiquâ et primitivâ Ecclesiâ recedere. Quò
magis adhuc confirmantur ea, quae modò de-
duximus.

§ 6. Conclusio, quoad 3tiam partem. 148.
Quòd nempe Pastores Romanae Communio-
nis habeant legitimam missionem; quia le-
gitima missio nihil aliud est, quàm vo-
catio, seu ordinatio ad Ministerium Ecclesia-
rum facta per impositionem manuum Epis-
copalium; qualis legitur in Scripturis ab
Apostolis usurpata, cùm Ministros ordina-
runt Act. 6. 2. Timoth. 1. et 5. Tit. 1.
Qualis etiam semper in Ecclesiâ usurpata
fuit ad nostra usque tempora. prout in Tra-
tatu de Sacramento ordinis fusius ostendemus.

Item quia quoties in aliquâ Societate
perfectâ est Subordinatio Ministrorum et mem-
brorum cum Capite, toties est legitima Pas-
torum ejusdem Societatis missio; ut enim
hac legitima sit, satis est, quòd fiat ab ha-
bentibus legitimam potestatem et autorita-
tem: atqui in Societate Catholicorum est

120. est perfecta subordinatio Ministrorum et membrorum cum Capite. Ergo p.

149 At è contrà Adversariorum nostrorum Societas non habet legitimam in suis Pastoribus missionem. Si enim eam haberet, vel esset ordinaria, vel extraordinaria. Neutrum est verum. Ergo p.

Pb. min. Non primum. Si enim ordinaria esset, tunc illam Pastores ipsius ~~acquisiset~~ acquisisent vel ab Ecclesiâ Romanâ, in cujus communione vivebant; vel ab aliâ ad quam secesserunt. Non ab Ecclesiâ Romanâ, hac quippe secundum ipsos est haretica, per consequens non habet potestatem mittendi Ministros; Haretici enim, prout tota antiquitas, ipsique Adversarii fatentur omni auctoritate et jurisdictione in Ecclesiâ Christi semper privati fuerunt. Si verò ab aliâ Ecclesiâ illam acquerunt, tum proferant eam Novatores nostri.

4/58

* Disciplina Gallica c. 1. art. 2. et c. 19. art. 12. Confessio Scotica art. 22.

Sed neque extraordinariam habent missionem. Hac enim miraculis confirmari debet; qualis fuit Missio Moysis, Prophetarum, Apostolorum, Christi ipsius. Aut saltem extare deberet in Scripturis hujus extraordinaria Missionis testimonium aliquod, ut vel hoc pactò distingui possint verè à Deò Missi ab intrusis. Atqui neutrum ostendere possunt Protestantes, ut patet. Ergo p.

150. Apertum denique est; In Romanâ Ecclesiâ esse Successionem non interruptam Pastorum, præsertim Romanorum Pontificum, prout supra laudati Tertullianus et Irenæus demonstrant. Hinc S. Au-

gustinus contra Ep. fund. c. 4. Tenet me, in- 121
quit, in Ecclesiâ ab ipsâ Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum Successio Sacerdotum. Et in Psalmo contra partem Donati. Numerate, inquit, Sacerdotes vel ab ipsâ Petri Sede, et in ordine illo Patrum quis cui Successit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt Superba inferorum porta.

At Protestantium Societas non potest 151.
gloriari de hac Apostolicâ in suis Pastoribus Successione. Nam, ubi erat Secta Lutheranorum ante Luthernm? Ubi Calvinia-na, ante Calvinum? Hinc meritò ipsi dici potest, quod sui temporis Hæreticis dicebat Tertullianus antea laudatus: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum. Vel quod S. Cyprianus Ep. 76. ad Magnum de Novatiano, Novatianus, ajebat, in Ecclesiâ non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelicâ et Apostolicâ Traditione contemptâ, nemini Succedens, à se ipso ortus est. Et infra: Pastor haberi quomodò potest, qui /: manente verò Pastore, et in Ecclesiâ Dei ordinatione sucidaneâ præsidente / nemini Succedens, et à se ipso incipiens, alienus fit, et profanus.

Solvuntur Objectiones 152.
adversus Conclusionem.

Ob. 1.º Antiquitas est argumentum rei deficientis, et ad suum interitum vergentis. Ergo ex illâ dari non debet vera Ecclesiæ perpetuæ et indefitientis nota.

Resp. Ita quidem esse in rebus naturalibus, vel hominum arte, et industriâ cons-

152. titutis, quæ sortiri rerum humanarum sunt obnoxia: at in Ecclesiâ, quæ à Deo ipso constituta est, ac Spiritu Sancto regente ac docente animatur, quæ habet perennitatis ac perpetuæ durationis divinas promissiones, ista locum non habent; ac puerile planè est illud argumentum, et risu potiùs excipiendum, quàm seriò refellendum.

153. Ob. 2.° Romanæ Ecclesiæ Ministri, v.g. Summus Pontifex, et Episcopi non videntur legitimam habere missionem: Siquidem Summus Pontifex eligitur à Cardinalibus, qui sunt institutionis humanæ; Episcopi à Canonicis, seu ab Imperatoribus et Regibus, imò olim populi consensus erat necessarius p. Ergo p.

Resp. neg. primum ant. membrum. Aliud est eligi, aliud ordinari; Episcopi eliguntur ab hominibus tanquam institutionis humanæ, sed ordinantur ab Episcopis, qui sunt juris divini. Et in hac ordinatione consistit missio legitima, non in electione, quæ solum disciplinam respicit.

154. Ob. 3.° Triplex distinguitur Successio Pastorum; vel ratione loci scilicet, vel ratione personarum, vel ratione doctrinæ. Sed nulla ex his probare potest veram Christi Ecclesiam. Ergo Successio in Pastoribus etiam non interrupta non potest esse nota veræ Christi Ecclesiæ.

5/59

Ob. Min. Successio ratione loci non tenet in Ecclesia, quippe quæ certis locis aut regionibus non est alligata. Nec ratione personarum; hæc enim communis est pluribus aliis societatibus, quæ vera

Christi Ecclesiæ non sunt, ut Societates Græcorum, Romanorum, Syrorum, Æthiopum p. qui suarum Ecclesiarum longissimas successiones enumerant. Nec denique ratione doctrinæ; de eâ enim controvertitur; quærimus enim, ubi sit vera doctrina.

Resp. neg. min. Ad primam illius probationem dicimus, successionem Episcoporum Romanorum minimè interruptam fuisse, cùm eorum aliqui Avenione sederunt. Sive enim Romæ sint, sive alibi Summi Pontifices, semper sunt Petri successores. p.

Ad 2dam dicimus, jam pridem defecisse legitimam Pastorum successionem apud Orientales. In Syriâ quidem jam ab anno 768. abrupta fuit Mahometanis Antiochiam occupantibus. Jerosolymis quoque ab anno 636. quæ quamvis post annos 500. recuperata fuerit, tamen iterum unaum totâ Syriâ in infidelium potestatem reducta fuit. Adde, quòd antequam extincta esset personalis ida successio, jam hæreses istas provincias invaserant; et Græci, præter Schisma, quod ab aliquot seculis foverant, et cujus in tribus Conciliis Lateranensi scilicet, Lugdunensi, et Florentinò convicti fuerunt, in apertum etiam errorem contra processionem Spiritûs Sancti à Filio, æquè ac à Patre, lapsi sunt. Certum autem est, etiam juxta Adversariorum principia, hæreticos semper omni autoritate et jurisdictione esse in Ecclesia Christi privatos. Deinde, non est necesse, ut, qui ad Ecclesiam Christi pertinent, suorum particularium

 Pastorum Successionem continuam ostendant,

~~[illegible]~~

~~[illegible] Apostolicam [illegible] Addit Bellarminus [illegible] successionem in successione legitima proinde [illegible] ad probandum, non esse Ecclesiam [illegible] est hac [illegible]~~

Sed sufficit, si Successionem Episcoporum universalium, Romanorum nempe Pontificum, exhibeant: atque hanc ob causam, in una Pontificum Romanorum collectione sistebant veteres Episcopi; de illa principali Successione solliciti magis, quàm de sua. Hinc nec Irenæus Lugdunenses Præsules, quos Sanctus fuerat, nec Eusebius Cæsareenses suos decessores, nec Epiphanius Salaminenses, nec Optatus Milevitanos, nec Augustinus Hyppponenses in medium adduunt; sed communi consensu in uno solo Romanorum Antistitum albo inscribendo conspirant: satis illis erat, Ecclesia illius principalis, cujus se membra esse gloriabantur, et unde unitas Sacerdotalis exorta est, continuam Successionem enumerare.

* De Not. Eccles. l. 4. c. 8.

Addit Bellarminus*, argumentum à Successione Legitimâ præcipuè à nobis adduci, ad probandum, non esse Ecclesiam, ubi non est hac Successio; quod quidem evidens est: ex quo tamen necessariò non colligitur, ibi esse Ecclesiam, ubi est Successio. Itaque hoc argumento probamus evidenter, non esse Ecclesiam apud Lutheranos, apud quos nulla est Episcoporum Successio.

Ad 3tiam Resp. Doctrinam sanam à Successione Legitimâ separari non posse, imò in ipsa inclusi; ubi enim aliquis

legitima ordinatione succedit, nec à communione, et doctrinâ, in qua ordinatus est, recedit, tunc necessariò sanam profitetur doctrinam, ut pote, qui unitatem servet. Non tamen sanam doctrinam assignamus tanquam veræ Ecclesiæ notam, sed ipsam Pastorum sibi invicem succedentium legitimam vocationem, et ordinationem: Doctrina enim ipsa non loquitur, sed à Pastoribus legitimis docetur. 125.

Ob. 4.to Periit in Societate Catholicorum legitima Episcoporum Romanorum successio. Ergo vel hæc non potest assignari tanquam veræ Ecclesiæ nota, vel illâ destituitur Ecclesia Romana. 155.

Ob. ant. In hanc Sedem intrusi fuêre viri moribus corrupti, prout fatetur ipse Baronius ad an. Chr. 897. Ergo p.

Resp. neg. ant. ad ejus probationem neg. cons. Solent hic Novatores aliquorum Pontificum flagitia in apertam lucem proferre, ut invidiam Romanæ Sedi conciliant; sed quid inde assequuntur? nihil profectò. Ipsa enim Sedes Sancta est, Sancta et legitima Successio, licet aliqui Pontifices flagitiosè interdum vixerint. Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi, quæ docent, non quæ faciunt, imitanda sunt. Neque in hos nonnullorum Pontificum corruptos mores conjicere debent oculos Christiani, nisi ut divinam admirentur, ac laudent providentiam, et singularem protectionem, qua Romanam Sedem, non obstante illâ aliquorum ex ipsis Pontificibus morum corruptelâ ac depravatione, inolumem semper ac firmam conservavit.

Ob. 5.to Ecclesia Protestantium non 156.

126. est nova, sed antiquissima, imò est illa ipsa, quam Christus fundavit; licèt per multa sæcula non apparuerit, sed posterioribus tantùm temporibus visa fuerit. Ergo malè eam novitatis arguimus.

Resp. Neg. ant. Nam unde hæ ipsorum Ecclesia ortum habeat non possunt ostendere, nisi dicant, illam deduci ex antiquis hæresibus ab Ecclesiâ Judum damnatis, quod ultò eis damus, atque primùm ex Bellarmino ostendimus.

Ad illud, quod dicunt, eam nempe per multa sæcula non apparuisse ps, urgemus contra illos argumentum S. Augustini*: Aut illa Ecclesia, quæ nunc primùm apparuit, ante pericrat vel non pericrat; sed tantùm latebat. Atqui neutrum dici potest. ~~Ergo~~ Non primum: tum quia si perit mater, quomodò renasci potuissent filii? tum quia, ut dictum, unde nam ipsi ortum habeant, exponere non possunt; tum quia falsæ essent promissiones Christi Matth. 16. v. 18. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Non secundum: vel enim illa Ecclesia tunc latens profitebatur fidem suam, vel non profitebatur. Si profitebatur, ergo non erat latens, sed manifesta; si verò manifesta, quomodò nullus illam animadvertebat? Si non profitebatur, ergo nulla tunc erat Ecclesia; cùm ipsimet contendant, confessionem fidei notam esse veræ Ecclesiæ essentialem.

Deinde, si tamdiu delituit Ecclesia, ea certè pejoris conditionis fuit, quàm quælibet Hæreticorum secta, atque etiam ipse Judæorum populus post eversionem Jerosolymæ: nulla enim est Hæreticorum secta, quæ sua non habuerit Templa, suos Episcopos, sua da-

P * Lib. 3. de Bapt. c. 2.

cramenta; imò Judæi post eversionem Jerosolyma aliquas habuêre hinc et inde sparsas Synagogas. 157.

Ob. 6.to Ante reformationem Ecclesiæ ~~adeò~~ factam à Protestantibus, adeò corruptus erat ubique ejus Status, ut jure potuerint, imò debuerint, vocatione ordinariâ minimè spectatâ, meliores et doctiquique reformationem Ecclesiæ instituere; neque necesse erat, eos habere extraordinariam propriè dictam vocationem. Ergo p. 157.

Resp. neg. ant. Hoc argumento via panditur omnibus hæresibus: nullus quippe erit Novator, qui non fingat, ita corruptum esse Ecclesiæ Statum, ut debeat absque ulla vocatione ordinariâ vel extraordinariâ ipsius reformationem aggredi: et hoc etiam hodiè contendunt fanatici quidam Galli in Angliam transfugæ, qui jam temeritatis suæ, ac falsæ populis illusionis pœnas dederunt.

Inst. Etsi propter defectionem Pastorum, missio ordinaria fuit interrupta, atque adeò ad extraordinariam fuit confugiendum, non tamen inferri debet, ~~quòd~~ si defierint Pastores, continuò perituram Ecclesiam: nego enim promissio Christi de perpetuitate Ecclesiæ, necessariò importat perpetuitatem Pastorum. Ergo p. 158.

Resp. Neg. ant. Quonam enim esset Ecclesia, quæ Pastores non haberet? Quis Grex, Quod Ovile sine Pastore? Perpetuitas ergo Ecclesiæ infert etiam et includit perpetuitatem Pastorum; atque à tempore Christi huc usque fuisse Pastores in Ecclesiâ non interruptâ successione, docet Confessio Helvetica art. 18. Et Ministerium Ecclesiæ

158. esse perpetuum, tuetur Confessio Saxonica art. 12. ac denique, Pastoribus nunquam posse carere Ecclesiam, tradit ipse Calvinus ad c. 4. Ep. ad Ephes.

159. Ob. 7mo Lutherus, Calvinus Zwinglius ordinati fuerunt ab Ecclesiâ Romanâ. Ergo habuerunt missionem ordinariam.

Resp. Ogrè adversarii concedunt antecedens; cùm enim juxta ipsos Ecclesia Romana in idololatriam lapsa sit, nullam utique habet ordinandi potestatem; quòd si autem vera sit Ecclesia, tum immeritò eam deseruere Lutherus, Calvinus, Zwinglius et alii;

Adde, quòd si Sacerdotium conferendi potestatem habuit Ecclesia Romana, certè et habuit auferendo jurisdictionis: ac proinde acceptam illam potestatem amiserunt, cùm ab Ecclesiâ excommunicati sunt.

§. Quintus.

An vera Christi Ecclesia sit Romana.

160. In vera Christi Ecclesia duo præcipuè distinguenda veniunt: doctrina fidei scilicet, et morum disciplina: Disciplina verò in eâ duplex est: una universalis, quæ per omnes Ecclesias pervasit, et ab omnibus observatur, quæ maximè locum habet in publicâ et solemni Sacramentorum administratione. Tales sunt v. g. Exorcismi in Baptismô; Communio laicorum

sub unicâ Specie in Eucharistiâ; in Ordinatio- 129.
ne calibatus majorum Clericorum saltem
apud omnes Occidentales Ecclesias, et alia
Sacramentorum ceremonia. Alia verò
est disciplina particularis, quæ spectat pro-
prios particularium Ecclesiarum mores, usus,
ritus, jura, privilegia, immunitates, liber-
tates.

Catholica porrò Christi Ecclesia dici-
tur Romana, tum à disciplina illa ge-
nerali, tum maximè ab ipsa fide, quæ
una esse debet cum Romana in omnibus
et singulis Ecclesiis; non verò à disciplinâ
particulari, quæ, salvâ fide, diversa esse
potest ac discrepans. prout habetur ex
Concilio Ephesino act. 7. S. Hieronymo
Ep. 52 alias 28. ac S. Gregorio Magno lib.
1. Ep. 43. alias 41. His prænotatis, po-
nitur. ~~Ecclesia vigitur Romana Catholica~~

Conclusio.

Vera et Catholica Christi Ecclesia 161.
est, ac dici debet Romana.

Pb: Conclusio 1.ª Quia Romana Eccle-
sia ab Apostolis Petro et Paulo fundata est,
ac eorum sanguine consecrata. constans
enim est veterum traditio, Petrum et Pau-
lum venisse Romam, ibique fidem Christi
disseminasse, quam propriò sanguine obsigna-
runt. Ita Tertullianus lib. de Præscript. c. 36.
Irenæus lib. 3. adv. hæres. c. 3. Cyprianus Ep.
52. ad Antonianum. Eusebius lib. 3. hist.
c. 4. et in Chron. an. 44. à Christo nato. Item
lib. 2. Hist. c. 25. S. Hieronymus de Vir. Ill.

130. in Petro. S. Ambrosius lib. 3. de Sacram. c. 1. S. Augustinus lib. 2. cont. litt. Petiliani c. 51. n. 118. Optatus Milevitanus l. 2. adv. Parmen. n. 2. Orosius lib. 7. hist. c. 6. Sulpitius Severus lib. 2. Hist. Et alii complures.

162 2do Quia Fidem ab ipsis annuntiatam hac Romana Ecclesia constanter retinuit, atque cæteris per orbem Ecclesiis communicavit, unde ob id singularis præeminentiæ, dignitatis, et auctoritatis prærogativâ donata est, atque illarum Mater ac Magistra dicta; quam enim Petrus primatûs præeminentiam super alios Apostolos à Christo acceperat, hanc ipse Sedi sua Romanæ necnon suis in eâ Successoribus transmisit, et communicavit. Ita etiam communi suffragio universa docet Ecclesia Traditio.

S. Cyprianus Ep. 45. et 55. ad Cornelium. Tertullianus De Præscript. c. 36. Irenæus lib. 3. adv. hæres. c. 3. Augustinus Ep. 43. aliàs 162. Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 16. Theodoretus Ep. 116. Fulgentius lib. De Incarn. et grat. c. 11. n. 21. Tria Africæ Concilia, Numidiæ, Byzantenii, et Mauritaniæ Ep. ad Theodorum Papam, quæ lecta fuit Sess. seu Decret. 2. Concilii Lateran. seu Romani sub Martino I. an. 640. in causa Monothelitarum. Joannes Papa VIII Ep. 75. et 76. ad Michaëlem Bulgarorum Regem. Hincmarus Rhemensis lib. de prædestin. c. 24. Petrus Chrysologus Ep. ad Eutychium. Denique, ut multos alios prætermittamus S. Bernardus Ep. 190. Qui omnes unanimi ore fatentur, Romanam seu Apostolicam Sedem tanquam caput ca-

teris Ecclesiis, dignitate, auctoritate, fidei cons- 131
tantiâ praeminere: Graecorum Orientis Eccle-
sias variis haeresum procellis diu agitatas, tan-
dem triste in fide naufragium fecisse; Roma-
nam verò in eâ, quam ab Apostolis Petro et
Paulo accepit, fide firmiter ac constanter,
in hanc usque diem permansisse: et in qua
Romanâ Ecclesiâ, dicebat S. Irenaeus*, con- * lib. 3. adv. haeres. c. 3.
servata est ea, quae ab Apostolis est, traditio.

3tio Quia Ecclesia Romana centrum 163.
est ac vinculum Catholicae Communionis; nec-
non apud veteres conjunctio cum Sede Romanâ
seu Apostolicâ semper habita est pro Notâ veræ
ac catholicæ Ecclesiæ. Id iterum ex constan-
ti ac perpetuâ Ecclesiæ Patrum traditione.

Ita Tertullianus lib. de Praescript. c. 30. Ire-
naeus lib. 3. adv. haeres. c. 3. Cyprianus Ep. 45.
ad Cornelium. Et Ep. 52. ad Antonianum.
Ambrosius de excessu fratris sui Satyri n. 47.
Hieronymus Ep. 14. et 16. ad Damasum.
Et in Epitaphio Marcellæ. Optatus Milevi-
tanus lib. 2. de Schismate Donatist. Basi-
lius Ep. 75. Augustinus Ep. 43. et 44. alias
162. et 163. Et in Psalmo cont. part. Donati.
~~Ea~~ Et Serm. in Psalm. 101. n. 8. Item serm.
103. alias 26. de Verbis Domini. Leo Ep. 10.
alias 89. ad Episcopos Viennensis Provinciæ.
Theodoretus lib. 5. Hist. c. 3. Synodus Con-
stantinop. IV. an. 869. Qui omnes una-
nimiter tenent, unionem fidei ac doctri-
nae cum Romano Pontifice seu Sede Roma-
nâ necessariam esse, et signum veræ doctri-
nae et catholicitatis; eumque solum catho-
licum esse et audire, qui cum dictâ Ecclesiâ
communionem habet. Vid. ea quæ
in opere nostro de Auctoritate et Infallibi-
litate Summi Pontificis c. 5. 7. 9. 11. disseruimus.

Prima
Pars
p. 63

132. 164 Pb. 4.to Quia, cùm Ecclesia una sit, prout supra §. 1.o ostendimus, atque res qualibet eò perfectior habeatur, quò projùs tendit ad unitatem, necesse prorsus est, ut in Ecclesiâ sit unum aliquod commune centrum, in quo fidelium multitudo, quasi totidem lineæ colligantur, et adunentur: aliàs via declinari poterit periculum illius dissensionis et schismatis, de quo conquerebatur Apostolus 1. Cor. 1. v. 12. cùm varii, quisque pro suo affectu, dicerent: Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ. Nam, ut scitè omnino et appositè ait Barlaamus Hieracensis apud Græcos Episcopus*, Gis. Omnis multitudo ordine per se caret, nisi reducatur ad unum principium; pluralitas enim principiorum, et carentia principii, similes sunt inordinationis. Hujus quidem gentis s. Romanæ: / universa multitudo sub uno est ordinata principio, Ecclesiâ videlicet Romanâ, et ejus præsule, quem omnes honorant. Et Epist. 2. argumentum nostrum prosequitur.

* circa an. 1303. de unione utriusque Ecclesiæ. Bibliot. Pb. Tom. 26. p. 5. F.

165. Pb. denique 5.to Ecclesia Christi hû in terris debet esse visibilis, atque in fide indefectibilis, prout duobus sequentibus Paragraphis demonstrabimus. Ergo etiam ab Apostolorum tempore usque ad hanc nostra ætatem sine udâ interruptione visibilis et incorrupta permanere debuit.

Atqui nulla alia visibilis Ecclesia, præter Romanam seu Apostolicam, sine udâ interruptione aut corruptione integrata permansit. Ergo etiam sola Romana seu Apostolica Ecclesia vera et visibilis Christi Ecclesia dici et esse debet.

Pb. Min. ab indictione cæterarum Ecclesiarum, seu potius Societatum. 1.o Ecclesia Judæorum morte Christi finita, abro-

gata, et sepulta fuit. Secta Mahometica, seu 133.
Turcica non semper fuit, sed primùm an. 622.
initium habuit. Ariana, Macedoniana,
et alia secta longè post Ecclesiam exitata
et plerâque statim extinctæ fuerunt. Luthe-
rana et Calviniana adeò recentes sunt, ut
vix duentos annos excedant. At verò
notum est, Ecclesiam Romanam, ab Apos-
tolis Petrô et Paulô fundatam esse, atque
usque ad hæc nostra tempora sine ulla in
fide labe aut errore ~~ano~~ perpetuò, et sine
ullâ interruptione Christo fidelem persti-
tisse. Ergo etiam ea sola est vera Chris-
ti Ecclesia.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1°. Meletius Antiochenus Episcopus 166.
communione Damasi Summi Pontificis non
fruebatur, unde S. Hieronymus dicebat: Me-
letium respuo. Attamen magna fidei, et sanc-
titatis laude et vivens, et mortuus floruit, prout
refert Sozomenus lib. 7. Hist. c. 10. Ergo po-
test quis ex 2da communionem Romani Pontifi-
cis constitutus, et veram fidem profiteri, et
sanctitatem adipisci.

Resp. Dist. ant. Meletius communione
Damasi non fruebatur, ante initam cum Pau-
lino, quorum de Episcopatu Antiocheno conten-
debat, pacem et concordiam, trans.: post ini-
tam idam pacem et concordiam. neg. ant. Da-
masus Papa è partibus Paulini stabat, unde
et Meletio Paulinum sede sua pedere nitenti
suadebat. vid. Theodoretum l. 5. Hist. c. 3.

Dixi transeat, nam factum istud non
adeo certum est et exploratum. Quin potiùs
ideo Meletium à sua Communione exclusisse
videtur Damasus, quòd Arianus esset, quem
deinde in communionem recepit, postquam ab
Arianâ hæresi recessisset; id innuere videtur

2. 64

Y * lib. 5. Hist. c. 3.

134 Theodoretus, dum ait, Meletium ab impietate Arianâ recessisse. Cùm ergo S. Hieronymus ait, se illum respuere, vel dubius erat de illius communione cum Damasô, adeoque de illius fide, vel saltem loquitur de tempore, quod antecessit initam Paulinum inter et ipsum concordiam.

167. Ob. 2do S. Cyprianus à Stephano excommunicatus fuit; et tamen Martyr sanctissimè obiit. Ergo p.

Resp. neg. ant. de hoc factô disseremus c. 5. Excommunicationem comminatus quidem fuit in Cyprianum Stephanus, sed intra minas hæsit, nec tulit sententiam: vivit enim pax in cordibus eorum, inquit S. Augustinus.

168. Ob. 3tio Qui injustè ab externa Ecclesiæ communione pelluntur, ii nullum tamen inde spirituale damnum ac detrimentum patiuntur. Ergo p.

Resp. conc. ant. neg. cons. Eo casu illi pertinent ad eam Ecclesiæ partem, quæ nobilior est, animam scilicet, ut qui ei ~~charit~~ fide, spe et charitate jungantur, tametsi à corpore seu societate fidelium visibili sint exclusi. Præclara de hujusmodi fidelibus habet S. Augustinus lib. de vera Religione c. 6. n. 11.

169. Ob. 4to Cùm vacat Sedes Romana vel per mortem, vel per absentiam Summi Pontificis aliò transmigrantis, vel per Schisma multorum de Papatu contendentium; non potest servari communio cum Ecclesia Romana. Ergo p.

Resp. neg. ant. Ubicunque degat Romanus Pontifex, ibi Romana Sedes est, et debet agnosci. Eo autem mortuô, Sedes, seu cathedra principalis, Romana scilicet remanet, in qua Petrus Sedem fixit, et à cujus com-

munione recedere non licet. Cùm verò tempore Schis- 165.
matis dubius est legitimus Papa, Cathedræ Pe-
tri eo animô ita semper est inhærendum, ut
quis paratus sit futuro legitimo Pontifici ob-
temperare.

S. Sextus.

De Visibilitate Ecclesiæ.

De Visibilitate Ecclesiæ, sextâ ejus Nô- 170.
tâ, autori, non hîc illam intelligimus Ecle-
siæ partem, quæ interior nuncupatur, quam-
que constituunt soli sanctô, qui vera in Chris-
tum fidei, et sinceræ charitatis vinculô inter
se colligantur: Secundùm hanc partem enim,
quam Ecclesiæ animam nuncupamus, tota in-
visibilis est. De illam spectamus secun-
dùm exteriorem statum suum, idest, secun-
dùm corpus ipsius, et quatenus est Societas
eorum, qui publicâ ejusdem fidei professione
eorundem Sacramentorum et Pastorum com-
munione conjuncti sunt, prout tum in
prælogiô, tum capite primô hujus tracta-
tûs fusè exposuimus. Hoc prænotato sit

Conclusio Prima.

Ecclesia Christi est visibilis ex na- 171.
turâ suâ adeò, ut oculis omnium semper
conspicua fuerit.

Pb. Conclusio 1.a ex Scripturis, in qui-
bus constantem hanc Ecclesiæ visibilitatem
prædixerunt Prophetæ, docuit Christus, con-
firmaverunt Apostoli.

Prophetæ prædixerunt visibilem Eccle-
siam. Isaia c. 2. v. 2. Ecclesia montis no-
mine proponitur, qui sit omnibus obvius,
et ab omnibus possit conspici. Erit, inquit,
in novissimis diebus præparatus mons Do-
mûs Domini in vertice montium, et elevabi-
tur super omnes colles, et fluent ad eum

3. 651

 omnes gentes p. Quem montem S. Hieronymus in hunc locum de Ecclesiâ exponit.

Danielis 2. v. 34. et 35. lapis, qui percussit Statuam, dicitur factus mons magnus, et implevisse universam terram. Quem locum pariter de Christo et Ecclesia intelligit idem S. Hieronymus.

Psl. 18. Ecclesia juxta interpretationem S. Augustini comparatur Soli*. In sole posuit tabernaculum suum.

5 * Tract. 2. in Epist. S. Joan.

Christus Ecclesiam suam esse visibilem docuit, 1.o parabolis quibus eam expressit, Arcæ, Agri, Sagenæ. 2.do Cum in eâ Pastores instituit Joan. 20. v. 1. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Matth. 5. v. 13. 14. et 15. Vos estis Sal terræ..... Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita..... Sic luceat lux vestra p. In quibus patet, nec Ecclesiam, nec ejus Pastores abscondi posse. Quæ etiam de Ecclesia explicat S. Augustinus*. 3.tio Cum ipsam

7 * lib. de Unit. Eccles. et alibi passim.

supra petram ædificandam promisit; ex quo patet Ecclesiam non minus esse visibilem, quam ædificium supra petram. 4.to cum jubet adiri Ecclesiam, hoc est, Superiores Ecclesiæ, ubi fraterna correctio privata obcontumaciam delinquentis nihil profuit. Matth. 18. v. 17. 5.to cum in eâ instituit visibilia Sacramenta, quorum communi participatione, tanquam certissimo vinculo, inter se, et cum capite Christo colligantur fideles.

Apostoli idem docuerunt; atque inter alios Apostolus Paulus Act. 20. v. 28. ubi advocatis ex Ephesô Presbyteris, eos hortatur, ut vigilantes sint in regendâ Ecclesiâ et universo grege, in quo Dominus posuerat eos Episcopos: quis autem regere potest, quos

non novit.? Et Ephes. 4. v. 11. cùm dicit, Christum dedisse Ecclesiæ suæ Pastores, et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi..... ut non circumferamur omni vento doctrinæ. Quæ certè omnia perfici non possunt absque mutuis inter Pastores et Oves officiis, et notitiâ, qua se mutuò noverint. Et 1. ad Timoth. 3. v. 15. ubi eum monet, quomodò debeat conversari in Domo Dei, quæ est Ecclesia. at nemo potest assequi modum, quo se in aliqua communitate gerat, quam nesciit. 137

Cc. 2do ex SS. Patribus. Origenes Hom. 30. in Matth. Ecclesia, inquit, plena est fulgore ab Oriente usque ad Caidentem. 172.

S. Cypriamus de unit. Eccles. Ecclesia, inquit, Domini lucc perfusa est, per orbem totum radios suos porrigit.

S. Chrysostomus Hom. 4. in c. 6. Isa. facilius est, ait, Solem extinqui, quàm Ecclesiam deleri.

Denique, ut alios omittamus, S. Augustinus passim contra Donatistas, qui Ecclesiam in solis Africæ plagis aspectabilem esse volebant, totò orbe conspicuam esse omnibus ostendit. Tract. 1. in Ep. Joan. n. 13. ubi postquam singula propemodum Scripturarum testimonia mox adducta in unum collegit, sic habet: Nonne ille lapis crevit, et factus est mons magnus, et implevit universum orbem terarum? nunquid digitò ostendimus istum montem quomodò hominibus ostenditur tertia luna? v. g. quando volunt homines videre lunam novam, dicunt, ecce luna, ecce ubi est; et si sunt ibi, qui non valeant intendere aciem, et dicant, ubi?

4 66.

138 intenditur idis digitus, ut videant.... Nunquid sic ostendimus Ecclesiam fratres mei? nonne aperta est? nonne tenuit omnes gentes? Ecce mons implens universam faciem terræ; ecce civitas, de qua dictum est: Non potest civitas abscondi supra montem posita.

173. Pb. 3tio Rationibus Theologicis. 1.o Ut Ecclesia verè dicatur et sit naturâ suâ visibilis, sufficit, si una ex ipsius partibus sit visibilis et conspicua. Sicut enim homo dicitur visibilis, licèt animam habeat, quæ ex naturâ suâ videri non potest: quia nempe constat ex corpore, seu ex iis partibus, quæ cadunt sub sensus; et aliunde anima se externis suis operationibus prodit, ac manifestat. Atqui Ecclesia Christi constat ex iis partibus, quarum una visibilis est et conspicua, et altera licet invisibilis, se tamen suis externis operationibus manifestat; constat enim ex fidelibus externâ fidei professione, iisdem Sacramentis, et iisdem Pastoribus inter se unitis: Hæc pars visibilis est, hos enim fideles ubique gentium diffusos facilè quisque conspicere potest. Pars autem ejus interior et invisibilis, suis etiam operationibus aspectabilis est: licèt enim in privatis non sint certissima sinceræ fidei, pietatis, et charitatis argumenta, utpote, quæ vel in hypocritis occurrere possunt; certi tamen sumus, quòd in illâ Societate, in quâ sunt fides exterior in Christum, Sacramenta et Pastores legitimi et Apostolici, seu Apostolorum successores, sit quoque charitas sincera, et fides, juxtà promissum Christi: Ecce vobiscum usque ad consummationem sæculi. Ergo.

2.do Ecclesia est cœtus seu Societas hominum Deum vitè colentium, atque hoc suo cultu salutem æternam sperantium. Atqui

ad salutem æternam assequendam non tantùm in- 139.
terior Dei cultus, sed etiam exterior est necessa-
rius, præsertim per externam fidei professionem,
juxta illud Apostoli Rom. 10. v. 10. Corde creditur
ad justitiam, ore autem confessio fit ad salu-
tem. Unde S. Augustinus*, Fides, ait, à nobis
officium exigit et cordis et linguæ .... nec salvi-
fieri possumus, nisi etiam ore profiteamur fi-
dem, quam corde gestamus. Exterior au-
tem fidei professio non potest esse sine externâ
et sensibili verbi prædicatione. Ergo Ecclesia
Christi necessariò visibilis esse debet.

* lib. de fide et Symbolo cap. i.

3tio Eo præsertim fine Ecclesia à Christo
est instituta, ut sit columna et firmamentum
veritatis; pugnando nempe adversùs hæreses, et
eas, quantum fieri potest destruendo. Atqui
nec dignosci potest velut columna et firmamen-
tum veritatis, nec hæreses impugnare et destru-
ere potest, nisi visibilis et conspicua sit. Ergo &c.

4to omnes, sub periculo æternæ dam-
nationis, adjungere se tenentur veræ Christi
Ecclesiæ, et in ea usque ad extremum spi-
ritum perseverare: atqui id præstare haud
possunt, nisi ita vera Christi Ecclesia sit vi-
sibilis, ut patet. Ergo &c.

5to Si Ecclesia, vel etiam per aliquod
tempus duntaxat, posset latere, tunc possent
etiam cessare omnia Ministeria, propterquæ
instituta est, Sacramenta nempe ritus &c. imò
ipsemet verus Dei cultus. Atqui sic certè
salus tunc temporis obtentu impossibilis redde-
retur, mysterium crucis evacuaretur, atque
ipsa etiammum Ecclesia absolutè everteretur,
ita ut nulla omninò superesset, nequidem

140. invisibilis et electorum; cùm et ipsi carerent Sacramentis, sine quibus Salus obtineri non potest. Ergo &c.

6.to Ecclesiam Christi esse visibilem ipsimet fatentur Protestantes: Lutherani quidem in Confessione Augustanâ art. 4; In Apologiâ ejusdem; In Articulis Smalcaldensibus, quibus subscripsit universa eorum Secta; In Confessione Saxonicâ cap. de Ecclesiâ. In Confessione Wittembergensi cap. de Ecclesiâ. Et in Confessione Bohemicâ, quam approbavit ipse Lutherus.

Calvinistæ autem in Confessione Argentinensi c. 15. et 16. In Confessione Basileensi an. 1536. art. 13. et 14. In Confessione Helveticâ an. 1566.

Et quamvis postmodùm, Catholicis nempe cos prementibus, ut, cùm Ecclesia Christi vera visibilis esset, ostenderent nempe, ubinam Ecclesia Protestantium fuerit ante annos 200, sententiam mutarint, atque coperint dicere, et tueri eam fuisse aliquando invisibilem, tamen præcipuus quidam ex illorum Sectâ pateritis Sæculi Scriptor*, probat adversùs ipsos, Ecclesiam perpetuò visibilem fuisse et conspicuam &c. Ergo &c.

* Jurius lib. 1. de verâ System. fidei et verâ fidei analysi c. 25. et seq.

174 Conclusio Secunda.

Prædicta visibilitas, quæ veræ Christi Ecclesiæ propria est et singularis, convenit Societati Catholicorum; non verò Protestantium.

Pb. Conclusio quoad 1mum Membrum. Visibilitas, quæ propria est, et singularis Ecclesiæ Christi, est ea, quæ hujusmodi Ecclesia eminenti quadam et permanenti claritate inter alias Societates per totum orbem omnibus conspicua fuit. Atqui talis est Societas Catholicorum. Ergo &c.

Pb. min. 1.o Societas Catholicorum emi- 9 fuit nenter conspicua in suis Pastoribus et præser-

tim Romanis Pontificibus, ex quorum Successione non intermissâ post Petrum, nec unquam deinceps intermittendâ, SS: Patres veritatem, et perennitatem Ecclesiæ demonstrant. 141

Conspicua fuit etiam in suis Conciliis sive generalibus, sive particularibus, in quibus et fidei controversias compesuit, et Ecclesiasticam disciplinam stabilivit; ut videre est in quatuor primis Conciliis, quæ ab adversariis tanquam legitima admittuntur.

Conspicua denique fuit in debellandis Hæreticis, atque è sinu suo ejiciendis iis, qui monita sua et definitiones contemnebant. Omnes enim, quotquot hactenus visi fuerunt Hæretici, ex Societate Catholicorum prodierunt à qua prius in Christo regenerati fuerant; imò nullus est, qui originem suæ sectæ aliis possit exponere, nisi prius mentionem faciat Societatis Catholicorum, quam deseruit: adeò certum est etiam omnibus Hæreticis, visibilem eam et conspicuam fuisse.

2.º Societas Catholicorum permanenter et perpetuò visibilis fuit; nullum enim ab adversariis assignari potest tempus, in quo illa cum nostrô Capite Romanô Pontifice non fuerit visibilis.

3.tio Per totum orbem fuit conspicua, prout §. 3.tio, ubi de ejus Catholicitate seu Universalitate disputavimus, à nobis abundè demonstratum fuit. Ergo &c.

Pb. Conclusio quoad 2.dum membrum. 175.

Illa Societas non est eminenter, continuò, et ubique visibilis, quæ sua visibilitatis argumenta nulla proferre potest ex iis temporibus, quæ illam præcesserunt: atqui Societas Protestantium nulla sua visibilitatis argumenta ante prætensam Reformationem suam

142. proferre potest. Ergo &c. Major patet; Minorem eludere non valent adversarii

Dicant enim nobis, ubi ipsorum Societas fuerit, ante Lutherum et Calvinum? Nempe inter Hæreticos ab universâ Ecclesiâ damnatos et anathemate perculsos. Quamvis nec de ipsorum Societate esse possint, ut qui ea docuerint, quæ ipsi Reformatores nostri, vel Novatores potiùs, ultro improbant et damnant.

68

Et ne de veterum Ecclesiæ Sæculorum hæreticis quidquam dicamus. Petrobusiani, qui duodecimô sæculô gallicanæ Ecclesiæ partem vexaverunt, docuerunt inutilem esse parvulis Baptismum antequam ad usum rationis pervenerint*; non esse ædificanda Templa; frangendas, et contumeliosè tractandas cruces. Quæ non probant nostri Reformatores.

* Petrus Cluniac. adv. Petrobus.

Waldenses sic nominati à Petro Waldo civo Lugdunensi, qui vixit circa an. 1160. docebant, nullum esse Sacramentum illud, quod ab improbô Ministrô conferitur; communem esse ministris Ecclesiæ et laicis etiam fœminis verbi prædicationem; omne juramentum esse mortale peccatum. Item, antequam Luthers prodiret, non negabant præsentiam realem Christi in Eucharistiâ, nec transubstantiationem*.

* Reynerus, qui floruit circa an. 1250. lib. adv. Valdens. c. 5. Petrus Pilichdorf, qui vivebat circa an. 1395. Tract. adver. eosdem c. 25.

Albigenses, quorum hæresis ex Italia in Galias pervasit circa an. 1017. Vetus et Novum Testamentum rejiciebant; Christum non esse natum ex Virgine, nec pro hominibus passum, nec à mortuis resurrexisse; nullam esse in Baptismô remissionem peccatorum asserebant.

Wiclefitæ, quorum dux fuit Joannes Wiclef Anglus, et qui vivebat circa finem sæculi 14ti negabat certitudinem prædestinationis; docebat adorandam esse Eucharistiam; Matrimonium esse Sacramentum; Sanctos esse invocandos, et honorandas eorum imagines; esse

Purgatorium*. At dixit, Papam esse Antichristum; et hoc satis fortè erit, ut adversariis annumeretur. 143.

* In Trialogis Wiclefi.

Husitæ, à Joanne Hus Bohemo Wiclefi Discipulo sic diti: admittebant necessitatem Confessionis auricularis, Sacrificium Missæ, realem Christi in Eucharistiâ præsentiam, Sanctorum invocationem; transubstantiationem, cæterosque omnes Romanæ communionis articulos, præter idum, qui spectat communionem sub utrâque specie*.

* In operibus Joan. Hus. Item de la Roque Minister Calvinianus in suâ Hist. Eucharistiæ.

Verùm fortè ad fideles occultos, et in mediò Romanæ communionis degentes provocabunt Protestantes cum Claudiò Ministrò Calviniano*: at hoc ita absurdum est, ut nihil absurdius cogitari possit. 1º enim debebant occulta illa vera Christi Ecclesiæ membra nullam ex iis opinionibus habere, quæ cum salute compati non possunt: hoc est, nullum cultum exhibere Sanctis; eos non invocare; Sanctam Eucharistiam nunquam adorare. at quis probabit illos hæc observasse, vel saltem quis non judicabit, illos omnes fuisse hypocritas?

* In defensione Reformationis.

2º. Impossibile est, fuisse ejusmodi occultos fideles: nam, aut ~~nun~~ nunquam publicis officiis interesse debebant; aut cùm Catholici adorabant flexis genibus hostiam, illi stare debebant; nunquam vel Litaniis, vel Supplicationibus adesse, alioqui idololatriæ participes fuissent; nunquam adsacram Synaxim accedere; nunquam extremam Unctionem vel Viaticum accipere. At quis fingat, id à Catholicis tunc toleratum fuisse.

3º. Si autem occulti erant tunc temporis illi fideles Reformatorum nostrorum antecessores, ergò vera est nostra conclusio; eorum nempè Societatem semper ac perpetuò visibilem non fuisse. Meritò igitur postulare

144. jam idem posumus, quod ipsimet an. 1571. ab Anabaptistis postulabant; ubinam scilicet fuerit eorum Societas usque ad an. 1522. quo primùm visi sunt eorum doctrinæ autores?

Solvuntur Objectiones
Contra primam Conclusionem.

176. Ob. 1.º Jeremiæ 31. v. 33. Dabo, inquit Deus, legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam. Hisce verbis distinguit Deus Ecclesiam veterem à novâ, quod illa fuerit cœtus quidam exterior et visibilis, atque idcirò legem habuerit scriptam in tabulis exterioribus et lapideis; hæc autem sit populus quidam interior, ideoque legem habeat scriptam in tabulis cordis. Ergo p.

Resp. neg. ant. Hic enim non confertur Synagoga cum Ecclesia Christi, sed Vetus Testamentum cum Novo. Illud legem tantùm continebat; Istud verò est Lex gratiæ et charitatis, sive ipsa charitas et gratia scripta in cordibus hominum, prout loquitur Apostolus 2. Cor. 3. v. 3. Ecclesia ergo secundùm hæc est invisibilis, non verò secundùm cætera, ut sunt externa professio fidei; unitas Pastorum et fidelium; participatio externa Sacramentorum p.

177. Ob. 2.do Lucæ 17. v. 21. Regnum Dei, inquit Christus, intra vos est. Ergo Ecclesia, quæ hic per Regnum Dei significatur, est interna et invisibilis.

Resp. neg. cons. Non hic Christo sermo est de Ecclesia, sed vel de gratiâ Dei, per quam ipse regnat in cordibus hominum, ut exponit ~~Tertullianus~~ Theophylactus, et hoc sensu verissimum ~~est~~ dicitur, Regnum Dei intra vos est. Vel ut alii volunt hic intelligitur ipse Christus, nam ibi quæstio erat de Regno Messiæ

seu de adventu ipsius; respondet Christus, illum ~~jam~~ 145.
~~venisse~~, adeoque Regnum Dei, jam venisse sed non
cum observatione, idest, cum signis, seu pompa
et apparatu, prout expectabant Judaei.

Ob. 3tio Joan. 4. v. 23. ait Jesus ad Mu- 178.
lierem Samaritanam: Venit hora, et nunc est,
quando veri adoratores adorabunt Patrem in
Spiritu, et veritate. Ergo Ecclesia, quo
hic praesignatur, est invisibilis et interna
duntaxat, ut quae cultum internum Deo exhibe-
re debeat.

Resp. neg. cons. Ex hoc textu nihil
aliud evincitur, nisi quod praecipuus Dei cul-
tus in Ecclesia futurus sit internus; non verò
inde sequitur, Ecclesiam futuram esse om-
ninò invisibilem, atque omnem externum
cultum esse removendum, destruenda esse
Templa, abrogandos ritus, caeterasque om-
nes exteriores caeremonias.

Ob. 4to Heb. 12. v. 18. et 22. Non acces- 179.
sistis, inquit Apostolus, ad tractabilem mon-
tem et accensibilem ignem ..... Sed ad ~~Sion~~
Sion montem et civitatem Dei viventis, Je-
rusalem caelestem, et multorum millium
Angelorum frequentiam, et Ecclesiam pri-
mitivorum qui conscripti sunt in caelis.
Ergo Juxta Apostolum Ecclesia, quam hic
per montem Sion designat, est invisibilis.

Resp. neg. cons. Per montem Sion
et civitatem Dei viventis ~~ho~~ non intelligit
Apostolus Ecclesiam hic in terris militantem,
Sed triumphantem in caelis, quae ex beatis
~~Spiritib~~ Spiritibus et Angelis constat, prout
ipse textus manifestè prodit. Profert ergo
Apostolus Synagogam; quae accessit ad mon-
tem Sina corporeum, atque per imagines cor-
poreas vidit quidem Deum: cum Ecclesiâ, quae
non re quidem, sed Spiritu accessit ad montem
Sion, et ad civitatem Dei viventis, id

179. est, ad gloriam beatorum, ubi videtur Deus facie ad faciem.

Vel dici potest, quòd Apostolus intelligat simul Ecclesiam militantem et triumphantem: Ecclesia igitur Novi testamenti quatenus militans est comparatè ad Synagogam appellatur Mons Sion, seu mons Spiritualis et civitas Dei viventis, atque Jerusalem cœlestis, non quòd sit ita Spiritualis, ut nullò prorsus modò sit conspicua; sed quòd cœpisse sit instituta, ut hominem ad cœlum provehat, necnon ad bona Spiritualia, quod Synagoga minimè conveniebat, quæ non ad perfectum adducebat, sed meris temporalibus promissionibus nitebatur. Vid. Estius in hunc locum.

8 70

180. Ob. 5to 1. Pet. c. 2. v. 5. hæc leguntur: Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus Spiritualis, Sacerdotium Sanctum, offerentes Spirituales hostias Deo. Ergo juxta Apostolum Ecclesia est domus Spiritualis dumtaxat, adeoque invisibilis

Resp. neg. cons. Ecclesia hic dicitur domus Spiritualis, non quòd secundùm se sit occulta et invisibilis, sed tùm ad differentiam domûs materialis, quæ ex materiâ merè corporali constat: vult enim S. Petrus Ecclesiam non esse domum ex lapidibus et ligris ædificatam, sed ex hominibus Deo dicatis et consecratis. tùm propter significationem mysticam; quia v. g. per domum materialem et propriè dictam, quale fuit Templum Salomonis, aut Tabernaculum Moysis, fuit prefigurata. Vid. Est. in hunc locum.

181. Ob. 6to Quod est fidei objectum, conspici non potest. Atqui Ecclesia est fidei objectum. Ergo &c.

Resp. Dist. Maj: quod est fidei objectum 147
conspici non potest sub ea ratione, sub qua creditur, com. maj. sub alia ratione neg. maj. p. Videmus hominum coetum, qui est Ecclesia, eumque sensibiliter cognoscimus ex fidei professione, cultu externo, Sacramentorum participatione, et Pastorum subjectione: at quod iste hominum coetus vera sit Ecclesia non videmus, sed credimus, vera enim Christi Ecclesia est illa, qua veram fidem profitetur, et hoc sensu Ecclesia dici potest objectum fidei, seu ad quod fides mea refertur, vel quod ego credo.

ob. 7mo Ecclesia juxta Apostolum 182.
Rom. 12. v. 5. et 1. Cor. 12. v. 27. est Corpus Christi mysticum: Atqui corpus Christi mysticum est invisibile, cum solis constet prædestinatis. Ergo p.

Resp. 1o neg. min. quod nempe Corpus Christi mysticum ex solis prædestinatis constet, ut postea c. 4. ostendemus.

2o Dist. Maj. Ecclesia est corpus Christi mysticum ratione animæ seu partis interioris com. maj. ratione corporis et partis exterioris, seu fidelium eandem fidem sub legitimis Pastoribus externè profitentium, neg. maj. Sufficit Ecclesiæ ad hoc, ut dicatur visibilis, si secundum unam sui partem conspicua sit.

3tio Ecclesia est Corpus Christi mysticum, quatenus habet vitam Spiritus à Christo per internam et occultam subministrationem gratiæ sanctificantis; verum est etiam corpus Christi externum, in quo sunt Ministri, Pastores, Sacramenta, externa fidei professio p.

148. Ob. 8.vo Forma Ecclesiæ, fides, spes, et
183. charitas, est planè invisibilis. Ergo et ipsa Ecclesia.

Resp. 1.o Retorquendo Argumentum, forma hominis, nempe anima est invisibilis. Ergo et ipse homo. Quod est absurdum.

In forma ergo neg. cons. Ecclesia est visibilis propter notas exteriores quibus distinguitur à qualibet alia societate, quamvis secundum formam suam seu animam sit invisibilis.

184. Ob. 9.no Ecclesia ita fuit aliquando afflicta et turbata, seu persecutionibus, seu hæresibus, ut certè tunc non videatur fuisse visibilis. Ergo non semper est visibilis.

Resp. neg. ant. Ecclesia semper visibilis est et conspicua, sive cùm floret, ac triumphat, sive cùm affligitur et perturbatur: imò nunquam illustrior visa est, quàm ubi vel persecutionibus Ethnicorum, vel Haereticorum disputationibus fuit impugnata. Ejus triumphum in persecutionibus nobis exposuerunt antiqui Patres, Tertullianus Apolog. c. 37. et lib. ad Scapulam. Origenes lib. 1. cont. Cels. Clemens Alexand. lib. 6. Stom. Amb. lib. 9. in Luc. c. 10. S. Aug. lib. 10. De civit. Dei c. 2. S. Gregorius Magnus lib. 9. Moral. c. 9. inprimis autem Hilarius lib. 7. de Trinit. Victoriam autem ejus contra Haereses prædixit ipse Christus, cùm dixit, portas inferi adversùs eam non prævalituras.

Primo X x. p. 71.

D. Septimus.

185. De Perpetuitate seu Indefectibilitate Ecclesiæ.

Indefectibilitas Ecclesiæ considerari potest vel quoad durationem temporis, quo permanentia dicitur; vel quoad fidei constantem professionem, quo solet

appellari infallibilitas, seu inerrantia Ecclesiæ 149.
in fide et morum doctrinâ sanciendâ. De pri-
mâ hîc duntaxat dicemus. De alterâ sequenti
capite dicturi.

Quæstio ergo hîc est, num visibilis Chris-
ti Ecclesia aliquando defecerit, vel etiamnum
defectura sit. Igitur ponitur

Conclusio.

Ecclesia Christi visibilis nunquam 186.
defecit, nec unquam est defectura.

Pb. Conclusio 1.o Ex Scripturis. Perpe-
tuam fore Ecclesiæ durationem prædixerunt
Prophetæ, promisit Christus, Apostoli declara-
runt.

Prædixerunt Prophetæ. Isaiæ 60. v. 19.
dicitur: Erit tibi Dominus in lucem sempi-
ternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non
occidet ~~sol~~ ultra sol tuus, et luna tua non
minuetur; quia erit tibi Dominus in
lucem sempiternam. Et v. 21. Po-
pulus tuus omnes justi, in perpetuum hære-
ditabunt terram. Item c. 61 /: quod
caput intelligi de Ecclesiâ Novi Testamenti
docuit Christus Luc. 4. v. 21: / v. 8. et 9. Fœ-
dus perpetuum feriam eis. Et scient in
gentibus semen eorum, et germen eorum
in medio populorum; omnes, qui viderint
eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen
cui benedixit Dominus. Hæc ad Christi
Ecclesiam dirigi ac de eo intelligi nemo du-
bitat; quæ proinde ipsius indefectibilitatem
abundè indicant.

Danielis 2. v. 44. In diebus regno-
rum illorum /: nempe Romani Imperii: / Sus-
citabit Deus cœli regnum /: Christi Ecclesiam

150. videlicet:/ quod in æternum non dissipabitur.

Osee 2. v. 19. Et sponsabo te /: Ecclesiam:/ mihi, inquit in persona Christi, in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia et judicio ..... et sponsabo te mihi in fide /.

Michæa 4. v. 1. et 8. In novissimo dierum erit mons domus Domini /: Ecclesia videlicet:/ præparatus in vertice montium, et sublimis super colles; et fluent ad eum populi .... Nos autem /: Ecclesia populi et fideles:/ ambulabimus in nomine Domini nostri in æternum.

Psalmo 47. v. 9. Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate /: Ecclesiâ:/ Domini virtutum, in Civitate Dei nostri: Deus fundavit eam /: Ecclesiam:/ in æternum. Et

Psl. 88. v. 29. In æternum, inquit Deus, servabo illi /: Ecclesiæ:/ misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.

2°. Eandem perpetuitatem ac permanentiam Ecclesiæ suæ promisit Christus Matth. ult. v. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Quibus verbis innuit, Apostolos ad consummationem usque mundi esse permansuros, in eorum videlicet successoribus nunquam defuturis; necnon se eisdem, seu Ecclesiæ suæ semper adfuturum jugi Spiritûs Sancti assistentiâ et influxu; atque ut statim promissi fidem impleat, verbo de præsenti utitur: Ecce ego vobiscum sum /.

2/72

Eò tendit similitudo, "Petra" super quam ait, se 151.
suam ædificaturum Ecclesiam Matth. 16. v. 18.
ut nimirùm ejus inconcussam firmitatem
ac constantiam significet; unde subjungit
statim, Adversùs quam portæ inferi non prævalebunt.

Eò etiam pertinet similitudo civitatis supra montem positæ, quæ abscondi non potest Matth. 5. v. 15. Unde meritò Gamaliel Legis Doctor Act. 5. Judæos ab impediendâ prædicatione Evangelii hac ratione avocare studebat, Quoniam, inquiens, si est ex hominibus consilium hoc, aut opus dissolvetur: Si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere. At Ecclesia utique à Deo fundata est.

Luca 1. v. 32. Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Hæc de Christo et ejus Ecclesiâ sunt intelligenda, super quam Christus hûc usque ad finem mundi regnaturus est, et in cœlo per totam æternitatem.

3tio Apostoli eandem Ecclesiæ perennitatem declararunt. Ephes. 4. v. 11. Ipse /: Christus :/ dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei. Hæc tantu declarat Apostolus, Ministerium Ecclesiasticum, quod per Pastores exercetur, et quô stat Corpus Christi Mysticum, id est, Ecclesia, usque ad consummationem sæculi perseveraturum, et quod haud dubiè est

152. visibile, utpote in prædicatione seu doctrinâ, et in administratione Sacramentorum maximè positum. Euntes, ait Christus ad Apostolos Matth. 28. v. 19. Docete omnes gentes ꝓ.

187. Cb. Conclusio 2.da ex SS. Patribus.

Tertullianus in Apologet. Imperatores adoquens, Nec quicquam, inquit, proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis Secta. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est Sanguis Christianorum.

S. Hilarius lib. 7. de Trinit. n. 4. Hoc Ecclesia proprium habet, inquit, ut tunc vincat, cùm læditur; tunc intelligatur, cùm arguitur; tunc obtineat, cùm deseritur.

S. Chrysostomus Homiliâ, cum de ejus expulsione ageretur, Christi Ecclesiâ nihil fortior, inquit, Si quis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est; tale est enim, velut si cœlo bellum meditetur inferre ..... fortior enim Ecclesia multò quàm terra, imò fortior et cœlo. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt ꝓ. Idem argumentum tractat Hom. in Isaiam.

S. Ambrosius lib. de Salomone c. 4. Navem, inquit, Ecclesiam debemus accipere, in Salo mundi constitutam, ... Quæ etsi undarum fluctibus aut procellis sæpè vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium ꝓ.

S. Hieronymus ad cap. 4. Isaiæ; Su- 153.
per petram fundata Ecclesia, inquit, multâ tempestate conuutitur, multo turbine, ventisque subvertetur. Et ad cap. 8. hos. Ex quo intelligimus, inquit, Ecclesiam usque ad finem mundi conuuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari non superari. Et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens, sive Dominus Deus ejus, idest, Ecclesiæ, se futurum esse pollicitus est: cujus promissio ex natura est.

S. Augustinus in Ps. 101. concione 2. disputans contra Donatistas, qui totam Ecclesiam visibilem periisse dicebant, et in solis quibusdam justis in Africâ remansisse, sed inquit, illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt, qui in illâ non sunt. O impudentem vocem!

3
73

Ob. 3tio Ratione Theologicâ: Quia 188.
si Ecclesia aliquando defecisset, vel defectura esset, via salutis, quæ nemini patera potest, nisi per Ecclesiam visibilem, esset tunc omninò impossibilis: nemo enim ingredi potest in aliquam societatem, quæ invisibilis est, et quæ ignoratur, quo loco sit constituta. Ergo. ~~Atqui sic enim omnino dicere~~

Inde itaque colligitur, necesse omninò esse, ut perpetuò in Ecclesia sint Episcopi, qui eam regant, Presbyteri, qui Sacramenta administrent et dispensent; uno verbô, ut nunquam deficiat publicum Ministerium, sine quo salutis instrumenta, et ipsa salus æterna obtineri non possunt. Ideo Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei Act. 20. v. 28.

154. Ideò Christus Pastores dedit ad consummationem Sanctorum in opus ministerii. Ephes. 4. v. 11. Eisque ligandi, atque solvendi auctoritatem concessit. Joan. 20. v. 23.

189. Solvuntur Objectiones.

Ob. 1.m Praedicitur in Scripturis fore tempus, quo Defectura omninò sit Ecclesia. Ut 2. Paralip. c. 15. v. 3. Transibunt multi dies in Israel absque Deo verò, et absque Sacerdote Doctore, et absque lege.

Danielis 9. v. 27. Deficiet hostia et Sacrificium: et erit in Templo abominatio desolationis; et usque ad consumationem et finem perseverabit desolatio.

Lucæ 18. v. 8. Filius hominis veniens putas, inveniet fidem in terra?

2. ad Thessalon. 2. v. 3. Nisi venerit discessio primùm, et revelatus fuerit homo peccati filius perditionis, idest, Antichristus. Peribit ergo Ecclesia tempore Antichristi. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Ad textus adductos

Resp. ad 1.mum Ibi sermonem esse de Regno Israëlitico, in quo vera Religio tandem universim extincta est; non de Judaïco, in quo vera Religio mansit neque ad Christum.

Ad 2.dum Loquitur Daniel de eversione Urbis Jerusalem, et cessatione Legalium ac Sacrificiorum veteris Synagogæ, quibus Christus morte suâ finem imposuit. Ita hanc Prophetiam explicat Christus ipse Matth. 24. v. 15. et Lucæ 21. v. 20. Ita etiam SS. Patres omnes.

Ad 3.tium Loquitur ibi Christus vel de quadam eximia fide, quæ montes transferre valeat; vel de fide per chari-

datem formatâ, ita ut hoc dictum sit propter 188.
iniquorum abundantiam, et bonorum paucitatem, juxta illud Christi Matth. 24. Quoniam abundavit iniquitas, frigescet charitas multorum. Ita exponunt Hieronymus Dial. adv. Luciferian. Augustinus lib. De unitate Ecclesiæ, et Serm. 36. de Verb. Dom. nunc 118. Juxta quas expositiones evidens est, prædictis Christi verbis significari, apud multos quidem extinguendam fore fidem, sed non apud omnes simpliciter et absolutè. Hac enim loquendi ratione, Putas, filius hominis veniens inveniet fidem? inquit Theophilactus, Christus fidei raritatem significat, non totalem interitum.

Ad 4tum Per discessionem vel intelligit Apostolus ipsum Antichristum, qui vocatur discessio per metonymiam seu vebi mutationem, quia erit causa, aut multi discessuri sint à Christo, ut exponunt, Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, et alii græci, quibus accedit S. Augustinus lib. 20. de civ. Dei. c. 19. Vel intelligit defectionem ab Imperio Romanô, quam disertè exprimere noluit Apostolus, ne Romanos offenderet, quibus persuasum erat, constans ac perpetuum fore suum imperium. Vel denique defectionem à fide particularem, multorum nempe; non verò generalem, prout ipsimet adversarii fatori cogantur; si enim tuentur, jam venisse Antichristum, scilicet Romanum Pontificem, nec tamen, cum ipsi, suô quidem judiciô, fideles sint, omnes fideles à fide defecisse arbitrantur.

Ob. 2do Re ipsâ sæpius defecit, et ita 190.
obscurata fuit Ecclesia, ut plane fuerit im-

4
74

186. visibilis. 1º Initio mundi, cùm Adam et Eva peccaverunt, atque peccando fidem amiserunt. Ita docent S. Ambrosius lib. 3. de Paradiso c. 6. S. Augustinus Enchiridii ad Laurent. c. 45.

2º Tempore Noe, cùm cuncta cogitatio cordis esset intenta ad malum, et multa malitia esset hominum super terram. Genes. 6.

3º Tempore Moysis, cùm Aaron summus Sacerdos proposuit vitulum adorandum, et omnis populus clamavit: Hi sunt Dii tui Israël, qui eduxerunt te de terrâ Ægypti. Exod. 32.

4to. Temporibus Judicum, cùm populus dimisit Deum et ejus cultum, ut serviret idolo Baalim. Judic. 2.

5to Tempore Captivitatis Babylonicæ, quo penitùs intermissa fuisse videtur Judæorum Religio.

6to Tempore Eliæ 3. Regum c. 19. Dereliquerunt, inquit, pactum tuum filii Israël, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladiô.

7mo Tempore Isaiæ. Israël me non cognovit, ait Deus Isa. c. 1. et populus meus non intellexit.

8vo Tempore impiorum Regum ~~Ad~~ Achaz et Manasse: tunc enim nulla fuerunt publica ministeria, nulli Conventus, nulla Sacramenta.

9no Tempore Jeremiæ, cùm diceret Deus: omnes me dereliquistis. Jerem. 2.

10mo Tempore Achab Regis Israel, quem quadringenti Prophetæ deceperunt, unusque Michæas legitur ab errore immunis. 3. Reg. 22.

11mo Tempore Nativitatis Christi, quando tantùm Maria et Joseph, Zacharias et Elisabeth, Pastores, Simeon, Anna, et pauci alii credebant; quando tota Judæorum

ratio à Christo defecit. Denique cùm Apostoli 157.
moriente Christo ab ejus fide defecerunt, de
quibus ipse Christus Matth. 26. dicebat: omnes
scandalum patiemini in me istâ nocte. Ergo p.

Resp. neg. ant. Ad textus adductos
Resp. 1.o Quæ adducuntur ex Veteri Testa-
mento ad probandum, Synagogam defecisse,
non videntur facere ad rem præsentem.
Quamvis enim probaretur, quod Synagoga defe-
cerit, non tamen inde sequeretur, Ecclesiam
Christi etiam defecisse, aut defecturam;
huic enim à Deo promissa fuit indeficiens
perpetuitas et permanentia, non illi. Dein-
de extra Christi Ecclesiam nulli salus patere
potest, unde necesse est, ut perpetuò sit vi-
sibilis; at extra Synagogam quidam sal
vi facti sunt, ut Melchisedeck, Job, et
alii.

Resp. 2.do ad singula. Ad 1.mum Ex
eo sequitur, etiam invisibilem Ecclesiam
defecisse, quod non admittunt adversarii.
Item Ecclesia non in Adamo et Eva, sed
primum in Abel formata, et constituta
fuit, atque sumpsit initium, prout c. 1.
§. 2. Hujus Tractatûs probavimus. Deni-
que Ecclesia omninò extingui non potest,
nisi per peccatum infidelitatis; at peccatum
Adami non fuit contra fidem, sed contra
præceptum obedientiæ duntaxat.

Ad 2.dum negamus, tempore Noë
ad unum omnes à Deo defecisse. Quinquen-
niò ante diluvium obiit Lamech Noë pater,
Mathusale autem ipsò annò et septimò ante
diluvium die, et procul dubio non pauci
alii mortui sunt veri Dei cultores. Sem et
Japhet pii erant, ut et uxores eorum. Hi
omnes constituebant Ecclesiam visibilem;

5/75

158. licet non adeo numerosa fuerit, extitit tamen aliqua, habuit quippe Ecclesia initium suum et incrementum. Scriptura verò phrasi consueta, ut magnam significet hominum depravationem, ita generatim loquitur, quasi nulli omninò fuissent justi, quamquam aliquos extitisse certissimum sit.

Ad 3tium falsum est, peccato populi Israelitici vitulum adorantis ad unum omnes consensisse, ut pote à quo Moyses omnesque Levitæ fuerunt immunes. unde Apostolus 1. Cor. 10. v. 7. significat, aliquorum duntaxat, non plane omnium hoc scelus fuisse.

Ad 4tum Quòd Judicum tempore Israelitæ aliquando à verò Dei cultu defecerint, id non de omnibus, sed de aliquibus tantùm est intelligendum. Hæc etiam ratione multa alia loca Scripturæ interpretanda veniunt. Ut Exod. 9. Mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum. Isai. 2. Et fluent ad eum omnes gentes. Philipp. 2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt. Joan. 3. Et testimonium ejus accipit nemo. In quibus locis vox omnes in sensu accommodo duntaxat, prout Schola loquitur, accipienda est, ita ut per omnes multi tantùm intelligantur, non verò absolutè omnes et singuli.

Ad 5tum Non erat tanta Judæorum captivitas, ut propriis non uterentur legibus et cultu; quamvis Sacrificiis abstinerent, quippe quæ alibi, quàm in Templo Hierosolymitano, agere non licebat eis. Persistebat apud ipsos Concilium ~~Sando~~ Sanedrim, rituumque suorum ratione à aliis nationibus facile distinguebantur, prout Amon Assuero Regi dicebat, Esther. c. 3. v. 8. Est populus

per omnes provincias Regni tui dispersus, et à se mu- 159.
tuò separatus, novis utens legibus, et caremoniis.

Ad 6tum Eadem est responsio ac ad 4tum Enimverò tempore Eliæ, quamvis multi ex populò Israëlitico ad idola defecissent, nunquam tamen eò deventum est, ut vera Religio prorsus extingueretur, quemadmodum passim ex ipso tertio libro Regum eliciitur. Cùm ergo Elias dixit, filios Israël pactum Dei dereliquisse, et se solum esse relictum, non eo sensu id intelligendum est, quasi ipse solus justus fuerit in Israël; Deus enim hoc ipsò cap. 19. libri 3tii Regum v. 18. ait: Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal. Sed isto duntaxat sensu, quòd ipse solus inter Prophetas fuisset derelictus, ut ipsemet ait. lib. 3. Reg. c. 18. v. 21. quia nempe alii Prophetæ omnes aut occisi fuerant à Jezabel, ut Elias ipse arbitrabatur, aut in captivitate detinebantur, sicque causam veri Dei defendere non poterant. Nec mirum, quòd ignoraverit Elias, tam multos fuisse in Israël veri Dei cultores, ut Judæa populos sub Josaphat piissimo rege lib. 2. Paralip. c. 17. v. 3. cùm jam ipse præ metu in spelunca montis Horeb delitesceret. Unde et nesciebat, Dispensatorem domus Achab, qui et ipse unacum multis aliis Israëlitis Dominum timebat, cùm Jezabel Prophetas Domini interficeret, centum eorum servasse, et in speluncis absconditos pane et aquâ sustentasse. 3. Reg. c. 18.

Ad 7mum et 9num Eadem est, quæ ad 4tum Responsio.

Ad 8vum Resp. Neque etiam illis temporibus invisibilem fuisse Ecclesiam, aut veri Dei cultores defuisse; cùm Reges illi

160. nemini libertatem ademerint veri Dei adorandi; ut colligitur lib. 4. Reg. c. 16. v. 18. Sanguis quoque innoxius, quem fudit Manasses, insigne fuit per Martyres suos Ecclesiæ triumphantis argumentum.

Ad 10mum Resp. id contigisse in regno Israël non Judæ, ubi verus Dei cultus erat. Præterea idi Prophetæ non erant ex collegio Prophetarum Dei, sed Baal, et iis similes.

Ad 11mum Dicimus, ipsam objectionem probare, tunc Ecclesiam fuisse visibilem, quamvis exiguam. Tempore mortis Christi autem, periit cum omnibus suis ceremoniis Judaïca Religio, quæ eousque tantum durare debebat. Quod Apostolos attinet, merus fuit in iis defectus constantiæ et fortitudinis, non verò fidei. Nondum etiam fuerant Episcopi constituti, nec uberiori Spiritûs Sancti gratiâ confirmati; non ergo mirum, quòd humani quid passi fuerint.

191. Ob. 3tio Cùm moritur Romanus Pontifex, qui Caput est visibile Ecclesiæ, ac per longum tempus vacat Sedes Romana, tunc deficit Ecclesia; capite enim præciso perit corpus. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Romanus Pontifex est caput morale Ecclesiæ; porrò non tanta est capitis moralis, quàm naturalis necessitas; resecto quippe capite naturali, ne uno quidem momento corpus vivere potest. At verò non perit corpus civile seu morale, deficiente Rectore seu illius civili vel morali capite. Sic etiam per mortem Romani Pontificis non perit Ecclesia; Sedes enim Romana semper perseverat, semper et subsistit fidelium societas sub legitimo Pastorum regimine.

Ob. 4.to Duo tempore per orbem universum grassabatur hæresis Ariana, ac furebat in Catholicos Constantii persecutio, lapsis in errorem Episcopis ferè Orientis Conciliorum Ariminensis, et Seleuciensis; invisibilis facta est vera Ecclesia ac prope extincta. prout ipse S. Hieronymus testatur his verbis: Miratus est universus orbis, se esse Arianum. Ergo &c. 361. 192.

Resp. neg. ant. Qua de re sequenti capite ex professo disseremus. Certè, prout pluribus demonstrat Jansenius Ipresis*, cùm vel maximè sæviret ida Constantii persecutio, verissimum fuit illud Augustini effatum, quòd Ecclesia scilicet in suis firmissimis tanquam columnis ædificii immobiliter stantibus emineret. Innumeri quippe, quos enumerare nimis longum foret, tum Orientis tum occidentis Antistites et Ecclesia avitam semper retinuêre Religionem et Catholicam de consubstantialitate filii cum Patre ab Arianis tunc temporis impugnatam fidem constanter retinuêre; Imo ipsi Episcopi, qui Metu et metu impulsi in Concilio Arimensi* fidei formulæ ab Arianis oblatæ, et in speciem Catholicæ, licet ab ea abesset vox Consubstantialis, subscripserant; hi enim, cùm sibi non essent consii Ariana perfidia, ingemuêre de impostura perductum Arianorum, atque mirati sunt, quod sine consientiâ suâ hæretici ferentur; eminverò hi Catholici Episcopi non solùm generatim, sed etiam nominatim singulos Ariana hæresis articulos ab Ursacio et Valente abjurari fecerant. Ergo hos Episcopos significat, quandò ait: Miratum esse universum orbem se esse Arianum. Et ut jam alibi annotavimus hyperbolicè loquitur. Quoad

* In Spongia rotarum p. c. 76.

* celebratum fuit an. 359.

162. Concilium Seleuciense, non est quod Deos quidquam loquamur, cùm ex meris Arianis conflatum fuerit, atque paucis, qui illi intererant, Catholicis Antistibus Arianis morem gerere renuentibus dissolutum fuerit*.

* an. 360.

Hæc de Notis veræ Ecclesiæ, extra quam nulla Salus speari potest, prout ipsamet S. Scriptura, SS. Patres unanimiter testantur, ipsaque ratio suadet. Vera Christi Ecclesia enim, prout ex Scripturis habetur, est Corpus Christi cujus membra sunt singuli fideles; manifestum utique est, quod membrum, quod in corpore non manet, neutiquam habere vitam possit. Præterea Christus est verus Ecclesiæ sponsus, prout demò sacra produnt litteræ, proinde filios generare non potest, nisi ex hac Sponsa. Domum nulla Salus est extra Regnum Dei, extra Templum, Domum, et Civitatem Dei; sic autem vocatur Ecclesia per Scripturam; ergo nec extra ipsam Salus aliqua obtineri potest, quemadmodum tempore Diluvii nulla fuit Salus iis, qui non fuerunt in Arca Noë conclusi.

Cum autem abundè probaverimus, has veræ Christi Ecclesiæ notas soli Catholicæ Apostolicæ et Romanæ nostræ Ecclesiæ convenire, viderint modò Protestantes, qua ratione Salutem consequi valeant, ut qui ab ea sine ullâ ratione sed temerè, et solius libidinis explendæ gratiâ discesserint.

Termina 77